



Zur  
Gräfl. vom Hagen'schen  
Majorats - Bibliothek



MÖCKERN  
gehörig.

No. 1450

Handwritten notes: a large 'N' and some illegible scribbles.

CATECHE-  
SIS PVERI-  
LIS.

RECOGNITA

A

PHILIPPO MELANTH:



VITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.

ANNO M, D, LVIII.

i.

PHILIPPO MULLER



VITBERG  
EXCERPTA  
CREATO

ANNO M.D.C.



PHILIPPVS ME  
LANTHON PIO LE  
CTORI S. D.



TINAM TYPO-  
graphi in deligēdis  
materijs, quas edūt  
diligētiores essent,  
ac non tantum sui  
compendij, sed etis  
am publicæ utilita

tis rationem haberet, præsertim in  
edendis scriptis de doctrina Chris-  
tiana. Extant aliorum libelli, qui  
hec elementa pietatis continent, quæ  
initio pueris proponuntur in Cates-  
chesi, ut uulgo uocant. Cum autem  
prosit, pueros ad unam simplicē &  
similem doctrinæ formam adsuefies-  
ri, optarem ex illis libellis eum tan-  
tum uersari in manibus iuuentutis,  
qui est locupletior cæteris. Nunc  
subinde alij noui nascuntur, non  
perinde feliciter scripti. Hunc uero  
libellum qui mei nominis titulo edi-

A 2 tus

tus est, prorsus nollem esse publicas  
tum. Etsi enim inter scholasticos  
quædam de his elementis pietatis fe  
rè in hanc sententiam differui, tamē  
nec scripsi ipse totum libellum, nec  
recognoui. Et quædam dicta sunt,  
quæ congruunt ad iuventutem, quæ  
in pijs Ecclesijs uersatur, non inter  
aduersarios. Ideo optarim Brentiū,  
qui & eruditione excellit & egregia  
pietate præditus est, si tamen uidit  
has pagellas ante editionem, limam  
adhibuisse, & quædā mutasse. Post  
quam autem editus sine emendatis  
one, cum abolere totum libellum  
non possim, duxi recudendum esse,  
& pauca quædam dicenda distin  
ctius. Tenue scriptum est, quod si  
quis putabit utile esse pueritiæ, non  
prohibeo, quo minus utatur. Sed  
optarim in hoc genere aliorum legi  
uberiores libellos. Bene uale  
pie Lector.

CATE

# CATECHE- SIS.

Quid significat Cate-  
chesis ?



VERBUM *græcum* *κατηχέω* est  
erudio seu doceo. Olim autem  
erant in Ecclesia non solum Epi-  
scopi & Pastores, sed etiam *κα-*  
*τηχηται*, quorum erat proprium  
munus erudire nouitios, priusquam baptisaban-  
tur. Vnde Catechesis adhuc dicitur, quædam Catechesis.  
prima institutio, in qua compendio traditur sum-  
ma Euangelij. Talis autem docendi ratio erat.  
Non solum proponebant *κατηχηται* doctri-  
nam, sed ab auditoribus reposcebant dictata,  
quod in docendo utilissimum est. Ita enim explo-  
ratis auditoribus, animaduerti potest, quid quis-  
que intelligat, & errantes admoneri possunt. Et  
hec ratio docendi, in qua dictata reposcuntur,  
proprie est *κατηχησις*, maximeq; prodesset in  
Ecclesia manere hanc consuetudinem, explorare  
rudiores, ut iudicia de necessarijs rebus forma-  
rentur. Prodest & illud, unam quandam simpli-  
cem & certam formam doctrine extare, & te-

A 3 nere

*κατηχησις.*

## DE DECALOGO.

nerere certos loquendi modos, qui nihil habent ambiguitatis, & sunt consentanei scripturae, sicut & Paulus praecipit Timotheo, ut conseruet ὑποτύπωσιν sanæ doctrinae, id est, certam formam. Nam dissimiles & ambigui modi loquendi pariunt multas (cum alius aliud intelligit) dissensiones. Sæpe etiam pariunt errores.

## DECALOGVS.

### Quid præcipit primum præceptum?

Apte orditur lex ab agnitione Dei. Nam primum præceptum docet esse Deum, & requirere obedientiam, benefacere obedientibus & punire inobedientes. Ac simul tradit modum, quo Deus uult apprehendi, & cultum, quo coli. Docet enim Deum esse uerbo & aliquo ipsius testimonio apprehendendum. Ideo sic ait: Ego sum Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti. Quasi dicat: Ecce, hunc Deum agnosces & coles, qui tibi hoc uerbum proponit, & qui tibi proposuit testimonium de se, scilicet hoc ipsum opus, quod eduxi populum ex Ægypto. Ita  
&



## DE DECALOGO.

Et nos debemus apprehendere Deum uerbo, quod nobis datum est, et testimonio, scilicet, quia exhibitus est nobis Christus. Hunc Deum, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, agnoscere et colere debemus. Cultus uero sunt timor et fides, et perfecta dilectio. Est enim emphasis in particula, Deus tuus, id est, curans te. Zelotes, id est, qui non patitur alteri tribui gloriam Dei, non patitur alios Deos confingi aut inuocari. Visitans iniquitatem etc. hic requirit timorem. Rursus requirit fidem et dilectionem, cum ait: Faciam misericordiam diligentibus me. Sicut et alibi declaratur hoc preceptum: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Item, Dominum Deum tuum timebis, et illi soli seruias. Ita primum preceptum tradit et modum agnoscendi Dei, et ueros cultus. Suntque ueri et primi cultus interiores, timor, fides et dilectio. Et quia magis intelligi possunt hi motus timor et fides, ideo cum queritur quid precipiat primum preceptum, commodissimum est respondere, timorem Dei et fidem. Quomodo autem fides pariat dilectionem, aliam dicetur.

Veri cultus.

Satisfaciunt ne homines huic  
precepto :

A 4 . Lex

## DE DECALOGO.

Lex Dei requirit perfectam obedientiam, perfectum timorem, perfectam fiduciam Dei, perfectam dilectionem Dei, iuxta illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. Sed quia natura hominis corrupta est vitio originis, ideo hæret in nobis dubitatio, carnalis securitas, concupiscentia, quæ magis amat carnalia, quam Deum. Ideo hæc infirma natura nunquam potest satisfacere huic legi, & semper accusat nos hæc lex. Nunquam enim tantum timemus aut diligimus Deum, quantum oportuit. Imo ne inchoari quidem potest obedientia huius præcepti, nisi prius audiamus Euangelium de Christo, & de remissione peccatorum.

### Quomodo inchoatur hæc obedientia?

Ad inchoandam hanc obedientiam, necesse est addere Euangelium de Christo, & de remissione peccatorum. Non enim possunt humana corda Deo credere, non sentiunt se exaudiri, non diligunt Deum, nisi prius intelligant Deum esse placatum. Cum igitur per terrefacti agnitione peccatorum nostrorum, audimus nobis donari remissionem peccatorum, propter Filium Dei, Iesum Christum, qui pro nobis factus est uictima.

Hæc

## DE DECALOGO.

Hac consolatione eriguntur mentes, & incipiunt credere & considerare Deo, quod sit nobis propicius. Agnoscunt igitur ipsius misericordiam, & statuunt nos recipi, nos exaudiri. Ideo incipiunt eum diligere. Ita in his, qui agunt poenitentiam, sunt terrores, timor, fides, dilectio. Et hac obedientia tantum inchoata est, placet autem Deo, quia fide propter Christum sumus facti filij. Ita legis finis est Christus. Non enim potest fieri lex, nisi agnitio Christo placeat, quia credimus Christo. In hanc sententiam inquit Paulus: Lex stabilitur per fidem. Sed de hac inchoata obedientia infra iterum dicendum erit, nunc attigi tantum, ut consideretur, quatenus obediant pij huic legi. Oportet enim pios habere inchoatam obedientiam in cordibus, nec satis est huic precepto nosse, & profiteri ea quae docet Symbolum, & obseruari externam disciplinam, in cultu huius Dei, quem praedicat Euangelium. Hac obedientia est civilis disciplina, qualis esse etiam potest in Hypocritis. Sed oportet in corde uerum timorem, ueros pauores, & rursus ueram fidem & consolationem existere. Et qui sic agnoscunt Deum, ut apprehendant eum per hoc signum, quod nobis propositum est, id est, per CHRISTVM, & per hoc

DE DECALOGO.

uerbum nobis datum, hi uere agnoscunt Deum,  
quemadmodum monemur in hoc præcepto.

Quæ sunt peccata contra pri-  
mum præceptum ?

Gradus multi sunt, sed omnes pugnant cum  
timore aut fide.

- I. Primus gradus est Epicureorum, uidelicet esse  
& Deor. se & Deos, negare quod sit Deus, aut quod sint ei  
curæ res humanæ.
- II. Secundus est Idolatrarum, tribuere creaturis  
honorem Dei, uidelicet omnipotentiam, inuoca-  
tionem &c. Sicut Gentes fingebant esse multos  
Deos, & nunc Sancti inuocantur.
- III. Tertius est Iudæorum, Mahometistarum &  
omnium hæreticorum, qui non apprehendunt  
Deum iuxta uerbum Dei propositum, sed fingunt  
sibi suos Deos, contra uerbum Dei. Item, confi-  
dunt certis ordinationibus contra ordinationem  
& mandatum Dei.
- IIII. Quartus est Magicorum, qui faciunt pacta  
cum Diabolo, credunt Diabolo contra mandatum  
Dei. Item confidunt certis ordinationibus contra  
ordinationem & mandatum Dei.
- V. Quintus est eorum, qui alligant Deum ad  
certas statuas humana autoritate positas, aut eti-  
am

## DE DECALOGO.

am uim ipsis statuis tribuunt. Nam Esaias docet, credendum esse, quod in omni loco pariter exaudiatur Deus, agentes pœnitentiam. Item, impietas est, alligare Deum humana autoritate ad certas statuas, aut certa opera, humana autoritate excogitata.

Sextus est Hypocritarum, qui, quamuis non sunt palam & Deo, tamen uiuunt in carnali securitate, & contemnunt iudicium Dei, nec habent uerum timorem Dei. Item, magis diligunt opes aut uoluptates, aut gloriam, quam Deum. Item non agnoscunt, quod Deo debeatur gratitudo & obedientia, quia sit Creator, & quod fruimur eius beneficijs.

Septimus est desperatio et odium Dei, quem admodum Saul desperat, & cum uidit se abiectum, irascitur Deo, & odit Deum.

Octauus est impia fiducia propriæ iusticiæ coram Deo, ut Pharisei illius Luc. 18. Nam Hypocritæ dupliciter peccant. Non intelligunt iudicium Dei aduersus peccatum. Itaq; non uerè timent Deum. Rursus etiam transferunt gloriam, quam debebant Christo, in propria opera & propriam dignitatem.

Nonus, dubitatio perpetua in animis, an exaudiamur, an Deus respiciat nos, an Deus uelit nobis

VI.

VII.

VIII.

IX.

DE DECALOGO.

nobis ignoscere. Huic dubitationi repugnant sancti, & fide se erigunt. Sed in impijs manet dubitatio & diffidentia, quæ & ipsa gignit contemptum & odium Dei, quia imaginatur Deum aut ociosum esse, aut iniquum, crudelem, qui tot modis affliget hanc naturam infirmam, nec uelit eam liberare.

X. *Impatien-* Decimus est impatentia. Nam Deus subiecit *tia.* humanam naturam afflictionibus. Quare Patientia est obedientia erga uoluntatem Dei.

Econtra, impatentia est, repugnare uoluntati Dei, & irasci Deo, & crudelitatem aut iniusticiam Deo tribuere. Ac diligenter meminerimus impatentiam esse peccatum contra primum præceptum, iuxta illud: Irascimini & nolite peccare. Nam hæc admonitio in magnis doloribus prodest, ut discamus dolori & iracundiæ repugnare. Etsi autem erumpunt etiam sanctis interdum hi affectus, tamen hi repugnant eis, & subiiciunt se uoluntati Dei.

XI. Undecimus, negligere & contemnere uerbum Dei, deficere à uera doctrina, seu metu, ut Petrus deficiebat, seu propter scandala, hominum gratiam, seu quascunq; alias causas.

XII. Duodecimus, fiducia propriæ potentia & sapientia, ut Sennaherib confidebat sua potentia se euer-

## DE DECALOGO.

euerfurum esse regnum Iudaicum, nec curabat auxilium Dei, nec petebat. Deniq; generaliter peccata sunt contra primum mandatum omnis contemptus Dei, uidelicet deficere à Deo, & contra mandata Dei facere, atq; ita præferre creaturas Deo. Quare in omni peccato simul inest uiolatio primi præcepti. Nam omnis inobedientia est contemptus Dei, seu deficere à Deo.

E regione colligantur bona opera primi præcepti. Credere omnes articulos fidei, nec assentiri Epicureis, Idolatris, Mahometistis, Hæreticis, non tribuere sanctis honorem Dei, non inuocare sanctos, non alligare Deum ad certas statuas. Non facere pacta cum Diabolo, non confidere obseruationibus contra ordinationem diuinam. Habere uerum timorem Dei, & ueram fiduciam erga Deum, propter Dominum nostrum Iesum Christum, Diligere Deum, hoc est, agnoscere, quòd Deo debeatur gratitudo & obedientia, quia sit Creator, quia fruamur beneficijs eius, quia per Filium suum nos redemit &c. Ac propterea non esse faciendum contra mandatum Dei, propter uoluptates, opes, gloriam aut ullam creaturam. Non habere fiduciam propriæ iusticiæ, sed petere misericordiam,

## DE DECALOGO.

diam, & certò credere, q̄ per misericordiam propter Christum, Pater sit nobis propicius. Repugnare impatientia, & agnoscere, quod obedientia in cruce sit præstanda Deo. Non confidere potentia aut sapientia, sed auxilium Dei in omnibus negocijs petere. Non deficere à uerbo Dei propter metum aut scandala, aut alias ullas causas. Hæc sunt opera primi præcepti. Et in omnibus bonis operibus debet addi hic finis, ut fiant propter Deum, hoc est, quia cupiamus Deo grati esse & obedire. Ita omnia bona opera aliorum præceptorum fiunt opera primi præcepti. Et uirtutes propriè pertinentes ad primum præceptum, sunt fides, timor, spes, dilectio, gratitudo erga Deum, id est, tota obedientia erga Deum. Et hæc opera atq; uirtutes, sunt cultus Dei interiores, qui sunt uerè spirituales cultus.

### Quæ est pœna uiolati primi præcepti?

Toti decalogo additæ sunt promissiones & comminationes, & si non repetuntur nominatim in singulis præceptis.

Primum igitur sciendum est, æterna morte puniri uiolationem Decalogi, sicut Christus inquit Matthæi, 5. Nisi iusticia uestra abundauerit

&c.



## DE DECALOGO.

Ec. Item, Si uis in uitam ingredi serua manda-  
ta.

Secundo accedunt et poenae temporales. Estq;  
primo praecipuo peculiaris comminatio addita,  
puniens in tertiam & quartam generationem  
&c. Quod enim dicit uagari poenas per multos,  
intelligatur de temporalibus. Itaq; magnitudo  
poenarum commonesciat nos, ut fugiamus Ido-  
latriam & impios cultus, & conemur obedire  
huic praecipuo. Et extant exempla, ubi Deus pro-  
pter peccata maiorum deleuit & ipsos & poste- Poenae.  
ros. Vt Saul cum tota posteritate deletus est. Pro-  
pter idolatriam Salomonis regnum Israël distra-  
ctum est, & secuta perpetua discordia duorum  
regnorum, & impij cultus in Israel instituti sunt.  
Ita unum peccatum peperit & infinitas calami-  
tates & infinita peccata. Haec exempla recitan-  
tur, ut magnitudinem irae Dei aduersus peccata  
consideremus, & Deum timeamus. Horrendum  
est enim poenas uagari per multos propter unius  
peccatum. Ita unus fit reus exitij multorum.

Sed obijciat aliquis: Filius non portabit ini-  
quitatem patris, haec comminatio minatur filijs  
propter maiorum delicta, ergo est iniusta? Re-  
spondeo ad maiorem: Maior debet intelligi de iu-  
dicio magistratus. Is tantum autorem delicti de-  
bet

## DE DECALOGO.

bet punire, non alios. Sed hac regula non tenetur Deus. Et sicut humanus captus non uidet, quantum mali sit in contemptu Dei, imo hoc peccatum ducit esse honestissimum. Ita Deus sancit poenam supra humanum captum, & ipsius decretum eo est iustum, quia ipse decreuit. Deinde & hoc addendum est, poena aeterna non infligitur, nisi propter proprium peccatum. Sed poenae temporales uagantur per plures. Sic Ezechiel docet de Euangelio, quod tradit exceptionem huius sententiae legis. Ezechiel enim accommodat sententiam illam ad iudicium spirituale, filius non portabit iniquitatem patris, uidelicet si intelligatur de aeternis poenis. Haec enim est propria Euangelij doctrina, quod Deus remittat peccata agentibus poenitentiam. Item, quod nemo aeterna poena puniatur, nisi propter proprium peccatum. Item, quod etiam temporales poenas mitiget Deus propter poenitentiam. Itaque has duas interpretationes hic obseruemus, uidelicet alteram de poenis temporalibus, alteram de exceptione Euangelica, uidelicet comminatio est uera, & manet in mundo, sed excepti sunt illi, quos eximit Euangelium, scilicet, qui agunt poenitentiam. Impijs uero haec comminatio non est abolita, Lex Dei est aeterna.

Qua

## DE DECALOGO.

Quare & hæc sententia aduersus impios manet  
& durat omnibus temporibus. Ideo punit Deus  
mundum, erroribus, bellis, dissipationibus rerum  
publicarum, & alijs ingentibus calamitatibus,  
præcipue propter peccata contra primam tabu-  
lam.

### Quæ est promissio addita pri- mo præcepto.

Promissio est in his uerbis: Faciens misericor-  
diam in millia diligentibus me. Vt enim Idolatris  
minatur pœnas, ita econtra pro ueris cultibus  
promittit ingentia beneficentia, sicut pacem, ui-  
ctorias, defensionem, fertilitatem, fœlicitatem in  
consilijs & rebus gerendis. Sed de promissionibus  
legalibus hæc quatuor moneri oportet.

Primum quomodo contingant præmia, cum pro-  
missiones sint conditionales, & legi non satisfi-  
at. Secundum addi debet doctrina Euangelij de  
cruce & spiritualibus præmijs. Tertium quo or-  
dine petenda sint præmia corporalia. Quartum  
quod expectatione præmiorum sit exercenda fi-  
des.

### DE PRIMO.

Promissiones legis sunt conditionales, dan-  
tur enim præmia pro nostra obedientia. Quan-

B      quan

## DE DECALOGO.

quam autem re ipsa nemo legi satisfacit, tamen, quia Deus approbat inchoatam obedientiam propter Christum, ideo etiam premia dat pro illa obedientia, sicut clarè inquit Christus: Merces uestra copiosa est in cœlis.

## DE SECUNDO.

*Premia.*

Euangelium interpretatur legem, docet enim de cruce, uidelicet in hac uita pios affligi, et tamen post hanc uitam habituros esse premia. Præterea in hac uita docet contingere pijs premia spiritualia, et quædam corporalia, quia Deus uult etiam in hac uita conseruare Ecclesiam..

Ex lege hoc argumentum sumitur: Iustum est, ut pijs dentur premia, impijs pœnæ, Pij sunt subiecti cruci, Ergo iniuste affliguntur. Hic respondendum est ad maiorem: Maior est sententia legis, quam postea Euangelium interpretatur quod docet ordinationem Dei esse, ut differantur præcipua premia et præcipua pœnæ. Præterea docet ideo pios in hac uita subiectos esse cruci, quia adhuc habent reliquias peccati, quas oportet per mortem aboleri, tametsi sunt imputatione iusti. Quanquam igitur sancti in hac uita subiecti sunt cruci, tamen afficientur premijs post

## DE DECALOGO.

post hanc uitam, Præterea multa etiam redduntur in hac uita. Et quanquam lex non satis clarè concionatur de spiritualibus præmijs, tamen ex Euangelio discamus proposita esse pro bonis operibus præmia spiritualia, quæ etiam in hac uita contingunt, uidelicet incrementa plurimarum uirtutum & donorum, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Et docet idem parabola de negociantibus in Euangelio. Promittit Christus & corporalia præmia, cum inquit: Primum querite regnum Dei, & cætera adijciuntur uobis. Item, Accipietis centuplum, sed cum persecutione. Et Paulus: Pietas habet promissionem presentis uitæ & futuræ. Quia enim Deus in hac uita etiam uult conseruare Ecclesiam, addit etiam corporalia præmia. Huc pertinet historia Davidis, Ezechie, & similium Regum, qui gloriosis uictorijs ornati sunt aduersus idolatras, sicut promittit Deus: Glorificantes me glorificabo.

## DE TERTIO.

Deus iussit peti & expectari etiam corporalia præmia. Sed modum, quo daturus est Deus nos præscribere illi non debemus. Item gradus seruandi sunt, ut gloriam Dei pluris faciamus

B 2 MUS

## DE DECALOGO.

mus quam nostram utilitatem. Quare non debemus à Deo deficere, etiamsi differt, aut non uideatur dare præmia. Non enim in totum remouenda est mentio præmiorum, sed gradus seruandi sunt, quia constat mandatum Dei esse, ut præmia ab ipso petamus.

## DE QVARTO.

Etiam corporalia præmia ideo proponuntur, ut earum expectatione fides exerceatur. Quare recte discamus uti his promissionibus. Nam hæc expectatio præmiorum corporalium fit cultus Dei cum fide & suo loco petuntur & expectantur, sicut Psalmus ait: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Ut autem intelligi possit, quomodo exerceatur fides, primum humane mentis cæcitas consideranda est. Adeo enim non cernit mens humana præsentiam Dei, ut somniet casu euenire bona & mala, nec sentiat Deum poenas infligere, aut bona dare. Hac caligine & his tenebris oppressæ sunt humane mentes. Ideo Deus ut hunc errorem euellat ex animis nostris, proponit promissiones & comminationes. Et sæpe inquit se dare bona, ut agnoscamus ipsius beneficia esse. Cum audis hanc promissionem: Date & dabitur uobis,  
inter

## DE DECALOGO.

interroga tuum animum, an uerè expectet bona à Deo. Obstrepit enim humana infirmitas, & clamat se nescire, an consilio Dei certa bona nobis contingant, sed casu potius sine delectu obijci uidentur bona & mala, pijs & impijs. Primum igitur fides est cultus Dei, & opus primi præcepti, statuere, quod bona & mala contingant consilio Dei, quod Deus puniat, quod iuuet. Hic primus fidei gradus est, quem in his promissionibus exercere debemus. Deinde accedant & alij gradus. Etsi enim dictum est: Date & dabitur uobis, tamen mens tua reclamatur, & disputat, Deum non tanti facere hoc tuum opus, ut propterea aliquid det, præsertim cum alioqui etiam indignus sis & peccator. Et hæc sunt causæ, cur tales promissiones minus moueant plurimos homines, quia alij cogitant simpliciter casu euenire bona & mala, alij cogitant Deum non tanti facere nostra opera, ut reddat præmia, ita duplex est impietas. Econtra igitur erudiendus est animus cum audit hanc promissionem: Date, & dabitur uobis, primum ut uere statuatur, bona nobis à Deo dari & non contingere casu. Secundus gradus fidei est propriè Euangelicus. Statuendum est .n. q. hæc nostra obedientia non placeat propter propriam dignitatem, sed placeat in his, qui fide

B 3 reconc

## DE DECALOGO.

reconciliati sunt propter Christum. Quare Deus certo promissionem suam seruaturus est. Hæc fides, quæ sentit diuinitus dari bona, item quæ sentit Deo placere nostrum opus propter Christum inuitat certè, ut demus libentius, & expectat uicissim à Deo bona, Ita opus nostrum fit quoddam sacramentum, quod admonet nos diuinæ promissionis. Quare & tales promissiones diligenter inculcandæ sunt animis, & ipsorum operum utilitas intelligenda est, & in ipsis operibus fides se exuscitat ac lucet. Quare & si petuntur corporalia bona, tamen quia fide Deus agnoscitur, & hæc suo loco petuntur, talia opera sunt spirituales cultus Dei, sicut docet sententia Psalmi, supra citata.

Quidam indocti cum non docent petere corporalia, tollunt magnam partem cultuum Dei, scilicet inuocationem & exercitia fidei in communi uita. Imo sciendum est, totam uitam corporalem & omnia negocia & pericula, debere esse occasiones inuocationis & exercendæ fidei. Et quanquam uita corporalibus subiecta est afflictionibus, tamen ipsam quoq; curat & gubernat Deus, ut conseruet Ecclesiam. Ideoq; plene sunt talium exemplorum historia Genesis & Regum,



## DE DECALOGO.

gum quæ ob hanc ipsam causam nobis propositæ sunt, ut intelligamus similia pericula gubernari à Deo, & similiter à nobis requiri inuocationem, iuxta illud: Commenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. Hæc in genere de comminationibus & promissionibus in toto Decalogo scire prodest.

## DE SECUNDO Præcepto.

APTissimus ordo est præceptorum, Primum enim docet de interiore cultu mentis, Secundum de significatione externa, quæ fit inuocatione & docendo. Nam hi sunt primi cultus exteriores. Est autem propter breuitatem negatiuè positum & prohibet abusus diuini nominis. Ergo è regione querendum est, quos bonos usus præcipiat.

### Quos bonos usus diuini nominis præcipit?

Sex, uidelicet, inuocationem, gratiarum actionem, glorificationem, confessionem, doctrinam, finem iurisiurandi. Inuocatio oritur ex fide, quia enim credimus, quod sit Deus, quod exaudiat, quod uelit saluare, ideo inuocandus est.

B 4      Disca

## DE DECALOGO.

Discamus igitur hoc loco præceptum Dei esse, ut inuocemus & exoremus ipsum. Et hunc cultum inter summos esse, quem soli pijs præstant.

### Quomodo fit hoc præceptum.

NON potest fieri sine agnitione Christi, quia in inuocatione obstrepit nobis indignitas nostra, & conscientia agnoscens peccata sua, non audet sperare & petere bona à Deo. Ideo necesse est scire, quod propter Christum Pater sit propicius & ignoscat nobis, quod propter ipsum certò exaudiamur, & quod ipse sit pontifex, qui interpellat pro nobis, & nostras preces offert Patri. Hæc fides in Christum in oratione addenda est, ita & hic uidemus, legem non fieri sine Christo.

Gratiarum actio est externa professio, quæ etiam oritur ex primo præcepto. Nam supra præcipitur, ut mens agnoscat Deum esse Creatorem Saluatorem & autorem omnium bonorum, Ac propterea deberi ei gratitudinem & obedientiam. Hic igitur præcipitur externa prædicatio beneficiorum Dei, ut alios inuitemus, ut & ipsi sentiant Deum esse Creatorem, Saluatorem, autorem beneficiorum, & incipiant eum timere, & illi credere.

Gloria

## DE DECALOGO.

Glorificatio est, uitare blasphemias & scandala, & referre omnes actiones eò, ut exempla nostra præluceant alijs, inuitent eos ad pietatem, ornent gloriam Dei, reddant gratiorem & commendatiorem doctrinam, sicut præcipit Christus: *Luceat lux uestra coram hominibus.*

## PECCATA CONTRA secundum præceptum.

- I. Omittere inuocationem Dei, & gratiarum actionem.
- II. Inuocare idola & sanctos.
- III. Falsam doctrinam spargere aut defendere, & ueram deprauare, calumniari, obscurare.
- III. Impios cultus instituere aut retinere.
- V. Non confiteri ueram doctrinam, cum interrogamur.
- VI. Non docere Euangelium, ubi postulat uocatio.
- VII. Non consulere ambigenti Ecclesiæ, nec dijudicare ambiguas controuersias, si postulet uocatio. Nam hoc est præcipuum Episcoporum officium, curare, ut dijudicentur ambiguae controuersie. Nam dubitatio est horribilis carnificina conscientiarum, & parit desperationem & impietatem.

B § Pugnans

DE DECALOGO.

VIII.  
Blasphemie.

Pugnant cum hoc præcepto & blasphemie, maledicta aduersus Deum, quæ sunt uaria, ut sermones Epicurei, quibus impij & securi superbe derident Deum, & iudicant Euangelium esse fabulosum. Item maledicta Hypocritarum aduersus uerum Deum, & ueros cultus Dei, ut impie uoces Pharaonis & Rabsacis, & Phariseorum aduersus Christum & Apostolos. Item maledicta desperantium. Deniq; omnes sermones, quibus concutitur fides in infirmis, & deformatur gloria Dei, sicut hoc tempore homines callidi sæpe alienant animos hominum ab Euangelio calumnijs artificiose excogitatis.

IX.  
Periuria.

Violant secundum præceptum & periuria, primum quia utuntur nomine Dei, cum peccent, prætextu nominis diuini conantur tegere peccata. Secundo, cum Deus ibi tanquam testis inuocetur, periurus lædit gloriam Dei, quia quantum in ipso est, Deum facit falsum testem. Tertio periurus clare profitetur se contemnere iudicium Dei, quia iurans imprecatur sibi iram Dei si fallat. Cum igitur sefellit sciens ac uolens palam contempsit iudicium Dei. Hunc manifestum contemptum & Deus punit, & debent leges magistratum punire. Cum igitur tam multa peccata sint in periurio, consuetudo sæpe iurandi sine

## DE DECALOGO.

ne magna causa & graui deliberatione ualde periculosa est.

Violant hoc præceptum & execrationes, quia in his inuocatur Deus contra suum mandatum, ut noceat alijs. Hic abusus quam sit flagitiosus, clarius perspici potest, si consideretur quam multa peccata sint in execratione. Primum est, irreuerentia. Nam nuncupare Deum, est inuocare Deum. Est autem Deus serio & magna reuerentia inuocandus. Ita & nomen appellandum est serio & reuerenter. Plerumq; effundit execrationes uanitas quædam aut iracundia sine reuerentia. Secundo, Deus non est inuocandus, ut noceat illis, quos præcepit à nobis amari. Iam in illis uulgaribus execrationibus inuocatur Deus contra mandatum suum, ut noceat illis, quibus debemus bona precari. Prophetæ interdum execrantur ac maledicunt, sed tantum blasphemis & obstinatis, qui non desinunt persequi ueram doctrinam & ueros cultus, in re tanta fit serio imprecatio seu execratio. Et magnitudo huius exempli admoneat nos, ne transferamus execrationes ad uulgaria negocia, quia in usu temerario recidunt in caput eius, qui abutitur nomine Dei. Violant secundum præceptum & mores mali omnium, quorum exempla nocent alijs. Item deformant Evangelium.

X.

Execrationes.

An

## DE DECALOGO.

### An liceat iurare Christianis ?

RESPONDEO : Concessum est Christianis iusiurandum. Id primum exempla ostendunt, quia Paulus aliquoties iurat, ut 2. Corinth. 1. Ego testem Deum inuoco aduersus animam meam &c. Et Hebre. 6. Omnis controuersia finis est iusiurandum. Et Lex inquit : In nomine Dei tui iurabis. Cum igitur Lex docet iurare & extant exempla constat, quod liceat dare iusiurandum. Sed hic obijcitur dictum Christi Matth. 5. Ego autem dico uobis, non iurare omnino &c. Respondeo simplicissime : Necessse est δ̄ ἡδ̄ in Mattheo non ita acerbè intelligi, ut tollat & dissipet iudicia et Respublicas, quia Euangelium manifestè approbat in alijs locis politias & iudicia, Quare tota illa concio Christi loquitur de priuata cuiusq; mundicie, non loquitur de politijs & negocijs uocationum. Improbat igitur iuramenta, quæ sine uocatione dantur, & sine mandato magistratus. Interim non prohibet iuramento uti, quod defert magistratus, aut quo uti cogit uocatio, ut Paulus iurabat propter uocationem. Imo ex alijs scripturæ locis & exemplis discamus iuramentum εἰς α. ἡδ̄, aut quod fit uocante uocatione, licitum esse. Euangelium enim non abolet politias & iudicia.

## DE DECALOGO.

dicia. Est autem iuramentum uinculum iudicio-  
rum & politiarum. Sicut ad Hebræos clarè dicitur: *Iuramenta.*  
tur: Omnis controuersie finis est iusiurandum.  
Ergo Euangelium etiam talia iuramenta conce-  
dit. Quare iuramenta delata à iudice, uel facta  
propter uocationem, sunt concessa, & sunt cultus  
Dei, iuxta illa uerba legis: In nomine Dei iurabis  
Econtra, sine causa iurare, est abusio nominis Dei  
quia nomen Dei inuocatur sine reuerentia. Hunc  
abusum Christus uult tollere, ideo addit, quod am-  
plius est, à malo est, id est, ab irreuerentia, uideli-  
cet, cum iuratur sine causa, sine uocatione, sine  
mandato. Alij respondent, Christum non prohibe-  
re simpliciter iuramenta, sed iuramenta facta non  
per nomen Dei, quia honos Dei non est transfe-  
rendus ad creaturas. Nam in iuramento tribui-  
tur Deo, quod sit iudex & inspector cordium.  
Tribuitur etiam potentia puniendi. Hac non sunt  
tribuenda creaturis.

Quæ est comminatio addita  
huic præcepto.

EXPRESsa comminatio est, scilicet, Qui  
uanè usurpauerit nomen DEI, hunc non habebit  
Deus infontem. Propter hoc dictum: Deus  
conseruat in hoc mundo pœnam periurij. Estq;  
hec

## DE DECALOGO.

*hæc uox testimonium, quod Deus periuros puniat at multis magnis calamitatibus, etiam cum magistratus non punient eos. Ideo omnes historiæ plene sunt exemplorum, quæ testantur tristes exitus fuisse, illorum, qui iusiurandum aut fœdera uiolauerunt. Et sunt infinitæ sententiæ scriptorum de pœna periurij, ut apud Tibullum:*

*Ah miser & si quis primo periuria cælat,  
Sera tamen tacitis pœna uenit pedibus.*

*Huiusmodi sententiæ sunt acceptæ à patribus & comprobatae experientia. Deniq; sunt uox Decalogi. Cum igitur huic secundo præcepto annexa sit comminatio, sciamus semper in iuramento contineri duas res. Altera est, quod Deus citatur testis. Altera est, quod iurans imprecatur sibi pœnam. Ideoq; inuocat Deum, ut puniat fallentem. Hæc enim est sententia cuiuslibet iurisiurandi: Inuoco Deum ac peto, ut si fallo, uerè me puniat. Et hac ipsa forma olim concipiebantur &  $\alpha\pi\delta\alpha\iota$  in fœderibus. Est igitur duplex peccatum in periurio, scilicet quod Dei gloria læditur, cum citatur tanquam falsus testis, & quod periurus contemnit Deum, nec putat fore ultorem. Hanc horrendam impietatem sciamus non fore impunitam, & iuraturi toto pectore metuamus illam imprecationem, & sciamus haud dubiò ratam fore,*

*re,*



DE DECALOGO.

re, propter hoc testimonium secundi præcepti.  
Quare magna religione seruentur iuramenta.  
Præterea sciendum est Deum hic minari poenas,  
non solum periuris, sed etiam blasphemis, sicut ex  
empla testantur publicas blasphemias, ut Rabsa-  
cis & similium, manifestis poenis statim punitas  
esse. Sic & Cherinthum balneæ oppresserunt,  
cum ibi contumeliosos sermones diceret in Chri-  
stum. Ut autem comminatio proposita est blasphe-  
mis & periuris, ita econtra intelligatur promissio  
proposita ijs, qui ornant gloriam Dei, sicut in  
libro Regum dicitur: Glorificantes me glorifica-  
bo. Quare haud dubiò iuuat pios, qui blasphemias  
prohibent, qui pios cultus defendunt, & tol-  
lunt impios cultus. Item qui periuria puniunt,  
item, qui reuerenter seruant iusiurandum. Qua-  
re & Hesiodus dixit: ἀνδρῶν δ' εὐόρων γε γενῆ  
μετ' ὧν ἄμεινον.

Debent ne Magistratus punire  
periuria ?

P E R T I N E T ad officium magistratum pu-  
nire periuria. Et ratio in promptu est. Ma-  
gistratus debet tueri omnia uincula societatis  
& iu-

## DE DECALOGO.

Et iudiciorum, Iuramentum est precipuum uinculum politici status, Ergo eius autoritas maxime defendi debet per Magistratus. Quare omnium gentium leges constituerunt supplicia in peruiros. Et Lex XII. Tabularum laude dignissima est, quæ falsum testem de saxo Tarpeio deiici iubebat. Porro hæc ratio de Magistratu sumitur tantum à corporali necessitate, ideo alia ratio, quæ sumitur à gloria Dei, addenda est. Nam Magistratus non tantum est defensor corporis, sed etiam gloriæ Dei, quod ad externam disciplinam attinet. Tenendum est igitur hoc Argumentum: Magistratus est custos totius legis quod ad externam disciplinam attinet, sicut Paulus inquit: Lex est posita iniustis, prophanis &c. Ergo debet punire delicta externa aduersus omnia præcepta. Puniat igitur & perueria & alias contumelias externas nominis diuini, uidelicet, Epicureos sermones, atroces execrationes, & tollat idolatrias & cultus, quos intelligit esse impios. Item puniat hæreticos serentes falsa & impia dogmata, postquam res à pijs & doctis ritè iudicata est. Hæ poenæ omnes sunt officia huius præcepti, & habent exemplum in lege, Leuit. 24. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte morietur.

Am

DE DECALOGO.  
An illicita iuramenta sint  
seruanda ?

Illicita iuramenta intelligi debent, in quibus promittitur aliquid quod est peccatum, aut sine peccato prestari non potest. Vt si quis promitteret sciens se facturum iniustam cadem. Talia iuramenta non sunt seruanda. Primum autem peccat iurans de re illicita, quia Deus non uult autoritate sui nominis fieri quod prohibuit. Deinde maius peccatum est prestare talia iuramenta, sicut Herodes simulauit se coactum iureiurando, in Vota monasticam. terficere Iohannem. Hinc facile est iudicium de uotis Monachorum. Irrita sunt uota, in quibus haerent impie opiniones, quae ledunt gloriam Christi, & transferunt beneficium Christi in opera ab hominibus excogitata, uidelicet, cum fingunt Monasticas ceremonias esse cultus Dei, qui mereantur remissionem peccatorum &c.

DE TERTIO PRAECEPTO.

Quid praecipit tertium praecipitum ?

OBSERVATIONEM Sabbati, hoc est, conseruationem ceremoniarum, quae sunt diuinitus traditae

## DE DECALOGO,

*ditæ. Sabbatum enim institutum fuit causa docenda di. Ideo lex disertè inquit: Sanctificabis diem Sabbati, id est, in res sanctas collocabis, uidelicet, ad celebrandas publicas ceremonias, & audiendum uerbum Dei. Hæc sunt uera opera Sabbati. Item iam diligenter considera ordinem præceptorum primæ tabulæ. Primum præceptum concionatur de cultibus interioribus, de timore, fide & dilectione Dei. Secundum de externa protestatione, scilicet, inuocatione. Tertium de ceremonijs & usu ceremoniarum, scilicet, quod conseruandæ sint propter ministerium uerbi. Oportet enim existere aliquas ceremonias quæ sunt notæ & testimonium uerbi Dei. Non poterat magis concinnus ordo excogitari.*

### Est ne abrogatum præceptum de Sabbato?

*Respondeo: Genus quod in hoc præcepto continetur, non est abrogatum, quæ quidem est principalis sententia huius præcepti, & continet causam finalem institutæ speciei, Species uero est abrogata, hoc est, semper Deus requirit conseruationem ceremoniarum, sicut eas præcipit. Prodest autem aliquos esse certos dies destinatos ceremonijs, & ministerio uerbi.*

Hoc

## DE DECALOGO.

Hoc genus est immutabile, & est principalis sententia huius præcepti. Sed species, uidelicet, ut septimus dies obseruetur, abrogata est, quia Christiani sunt liberi à ceremonijs Mosais. Interim tamen genus, quod in hoc præcepto requiritur, est morale. Ac propterea quod ad hoc genus attinet, Christiani tenentur hoc præcepto, Quia Deus præcepit omnibus hominibus, ut suum officium singuli conferant ad conseruationem publici ministerij. Ita quidem eruditè dicunt: Tertium præceptum, quod ad genus attinet, est morale & perpetuum, sed quod ad speciem attinet, id est, septimi diei obseruationem, est ceremoniale. Et de hac ceremonia iudicandum est, sicut de cæteris ceremonijs Iudaicis. Ergo peccant, qui contumaciter negligunt politicum ministerium & ceremonias diuinitus institutas. Primum, quia nolunt uti beneficio Dei, quia Deus ibi nos erudiri & exerceri uult. Deinde, quia officium suum non conferunt ad conseruationem publici ministerij. Postremo, quia exemplo suo alios abducunt à ceremonijs, & minuunt earum reuerentiam. Hæc peccata non sunt extenuanda, Ideo docendi sunt homines de obseruatione huius præcepti. Sed quoniam Euangelium non alligat

## DE DECALOGO.

nos ad diem certum, piæ conscientie erudiendæ sunt, ut sciant non esse peccatum sine contemptu & extra casum scandali aliquando non interesse publicis ceremonijs. Iudæi enim habuerunt præceptum diuinum de die & de opere. Nos habemus præceptum diuinum de opere, sed non habemus præceptum de die certo. Contemptus est autem, si quis nunquam aut raro intersit. Nam is aut contemptu doctrine aut aliquo doctrine odio abest. Scandali casus uarij sunt, sed præcipuus est, si quis suo exemplo noceat alijs.

## PECCATA CONTRA hoc præceptum.

- I. Contemnere ministerium Euangelij. Nunquam aut raro audire Euangelium.
- II. Non uti sacramentis.
- III. Contumelia afficere sacramenta, eaq; uel omnino ex Ecclesia tollere, uel conferre ad impios abusus, ad quæstum aut impietatem. Sicut Missæ ad quæstum turpem & impietatem collocatæ fuerunt.
- IIII. Abolere ministerium uerbi, aut in docendo negligentem esse, &c.
- V. Instituire impias ceremonias, quæ obscurant uerant

DE DECALOGO.

ueram doctrinam, & officiunt uero ministerio.

VI. Dies festos conferre in conuiuia & ludos, non ad piam meditationem. Sicut enim publicas ceremonias, & Euangelium festo die publice audire debemus, ita præstandum est, ut sobrii & apti simus ad piam meditationem.

VII. Abducere alios exemplo à publicis ceremonijs, & præbere occasionem, ut leuius de eis sentiant.

VIII. Operas, quæ impediunt ministerium uerbi, & ceremoniarum, die festo contumaciter exercere.

XI. Abolere ministerium uerbi, uel quia ministri indigne tractentur, uel quia eripiatur uictus ministris.

X. Abolere studia utilia ad conseruationem ministerij.

Opera huius præcepti.

Ministerium uerbi Dei, & sacramento uti, tanquam summa dona Dei magnificare, conferre studium ad ea intelligenda, ornanda & conseruanda. Inuitare exemplo alios, ut rectius & honorificentius de ministerio publico sentiant.

C 3 Iuxta

DE DECALOGO.

II. Iuxta uocationem præstare diligentiam in docendo &c. & conseruare doctrinæ puritatem.

III. Publicas conciones frequenter audire, piè uti sacramentis.

IIII. Retinere ueros usus ceremoniarum, nec contaminare eas impijs opinionibus, aut conserre ad quæstum.

V. Dies festos conserre ad publici ministerij celebrationem. Item in piam meditationem, & exempla, quæ inuitent alios ad pietatem. Itaq; Christus non uiolauit sabbatum curandis ægrotis, quia illa opera non impediabant ministerium. Imo erant testimonia, quibus ornabatur & confirmabatur Euangelium. Fuerunt itaq; propria & uera Sabbati opera.

VI. Tueri ministros Euangelij. Item studia quæ profunt ad conseruationem ministerij.

Hæc sunt uera opera huius præcepti, quorum magnitudinem pios intelligere conuenit.

Violaruntne Machabæi Sabbatum pugnando?

CVM Christus inquit: Magis uolo misericordiam, quam sacrificium, docet officia dilectionis superiora esse ceremonijs. Ergo in casu non simul  
potea



## DE DECALOGO.

poterant seruari ocium Sabbati, & necessaria de-  
fensio populi, magistratus rectè fecit, quod pugna-  
uit, præsertim cum defenderet non solum corpo-  
ra ciuium, sed ipsum ministerium. Est autem de-  
fensio ministerij opus sabbati. Proinde necessaria  
officia dilectionis anteferenda sunt ceremonijs,  
sed ita, ne ceremonia penitus aboleatur, Et officium  
illud dispensationem, non abrogationem legis ha-  
beat, & ceremonia alio tempore conseruetur. Ita  
homines occupati rebus administrandis necessa-  
ria officia dilectionis anteferant ceremonijs. Ma-  
gistratus cum propter ceremonias in aliquo ne-  
cessario casu negligit officium, peccat. Et tamen  
ipse quoque alio tempore ceremoniam conseruet.  
Hæc dijudicatio iam facilior est nobis, postquam  
ex Euangelio scimus aliquam concedi libertatem  
de die. Excusat Christus discipulos, cum uelle-  
rent spicas, quia faciebant opus dilectionis, & ta-  
men tale, quo non impediatur ministerium uer-  
bi. Talia officia, quæ non sunt mali exempli die-  
bus festis, non sunt reprehendenda, modo ut mini-  
sterio publico suum honorem tribuamus.

## ALIA QVÆSTIO.

C 4

Quid

DE DECALOGO.

Quid sentiendum est de ordinatio-  
nibus Ecclesiasticis ?

Regula tenenda est, quæ extat apud Esaiam,  
& à Christo repetita est.

Nullum opus esse cultum Dei, quod Deus non præcipit suo uerbo. Nam ne erremus de uoluntate Dei, & de ueris cultibus Deus tantum illos cultus approbat, quos ipse suo uerbo instituit. Sicut Christus inquit: Frustra colunt me mandatis hominum. Ac statim horrenda caligo offunditur hominum animis, cum obstrepit opinio ex consilijs humanis posse iudicare de uoluntate Dei, & institui cultus. Hoc initium fuit in mundo idolorum. Hic error depellit mentes à uera consolatione, quia abducit eas à uerbo Dei, & à uera doctrina fidei. Intelligunt autem impij cultum Dei, opus quod meretur condonationem peccatorum, & alia præmia diuinitus, Sed uera definitio est, cultum Dei esse opus Deo placens, cuius finis est proximus, ut Deus per id opus honore adficiatur.

Teneatur ergo regula, Ceremonias institutas ab hominibus non esse cultus Dei, nec mereri condonationem peccatorum, nec alia præmia.

Porro ut constat fugienda esse idola, ita tales traditiones abiiciendæ sunt, quæ proponuntur  
cum

## DE DECALOGO.

cum hac superstitione, quod sint necessariae, aut quod ritus illi sint cultus, aut placent Deum, aut mereantur premia, ut messis ubertatem, uictoriam depulsionem morborum, aut similia. Constat enim ita creuisse idola, dum animi ignari doctrine de fide, confugientes ad ceremonias quaesierunt auxilium in uarijs periculis. Ideo alius testatus se petere bonas tempestates, inuocauit Iouem tonantem. Alius testatus se petere uictoriam, inuocauit Martem bellatorem, deinde positae statu.e, additi certi ritus, per quos putabant Deum placari. Sic initio creuit idolomania, quam postea imitatus est orbis in inuocatione sanctorum, & alijs superstitiosis traditionibus, Monastica, ieiunijs, missarum applicatione. De his superstitionibus omnibus seruanda est regula: Fugite idolatriam. Cæterum sunt aliqui utiles ritus, quorum finis est politicus, uidelicet, quia efficiunt ordinem seu  $\epsilon\upsilon\tau\alpha\xi\iota\alpha$  in hac communi uita. Est enim intellectus ordinis homini proprius, & actiones humane in hac uarietate etatum & negotiorum, postulant discrimina quaedam temporum locorum, & exercitiorum, ut in scholis distinctæ sunt classes, sunt gradus lectionum. Ita ut sciat populus quando conueniendum sit ad audiendas conciones, & ad usum sacramentorum, aliqui di-

## DE DECALOGO.

*diebus nominatim his rebus destinati sunt. Hic ordo potest sine superstitione seruari. Et quia seruit ministerio Euangelij, non est uiolandus. Et qui uiolant, ita ut uel propter odium Euangelij absint à concionibus, uel alios abducant suo exemplo, grauius peccant. Nec iuuentuti concedenda est, licentia negligendi publicas ceremonias. Nam consuetudo illa adfert prophanitatem Ethnicam. Ideo disciplinae causa sunt cogendi, ut intersint publicis ceremonijs, & audiant conciones, ut his primis exercitijs adsuescant ad reuerentiam ueræ religionis & ad discendum Euangelium.*

### De obligatione.

*Vulgares libelli recitant tria opera Sabbati, Interesse ceremonijs publicis, precationem & oblationem. Cum enim conueniebat Ecclesia, singuli offerebant aliquod munus. Ex hac collocatione primum aliqua pars ministris dabatur. Reliqua distribuebatur pauperibus. Hunc morem fuisse et historiae & ueteres Canones & multa uestigia testantur. Inde enim & appellationes quaedam factæ uidentur, ut Missa, quod Hebræis significat tributum seu collationem. Et ἀγῶπη significat eleemosynas, & hoc nomine interdum pro ipsa*  
Synagoga

## DE DECALOGO.

Synaxi abusi sunt, quia ibi eleemosynæ distribuebantur. Manavit autem exemplum à populo Israel. Nam sacrificaturi afferebant uictimam, & partem dabant sacerdotibus. Ideoq; scriptum est: Non apparebis uacuis coram me. Recte igitur numeretur oblatio inter opera Sabbati, sed collationis finis immediatus & proprius sit primum, ut ministros iuueamus, deinde, ut pauperibus optulemur. Talis oblatio hoc fine facta placet Deo. Hic autem complecti debemus omnia officia erga ministros. Exigua quaedam significatio est reuerentiæ erga ministerium uulgaris consuetudo offerendi, sed tamen hæc quoq; laudanda est ob eam causam, quia exemplum admonet, quod ministris debeamus gratiam & mercedem. Sciamus autem deberi eis omni tempore alia maiora officia. Ceterum superstitiosa opinio in oblationibus improbanda est, qualis fuit Ethnicorum, & multorum nostris temporibus, qua ingentia donaria attulerunt in templa non hoc fine, ut ministros iuauerent aut pauperes, sed quia sentiebant Deo placere hoc ipsum opus, tanquam cultum & honorem peculiarem, & mereri se gratiam hoc opere, sicut hæc impia opinione etiam Iudæi cumulabant sacrificia. Quare reprehendit Psal. 49 has superstitiosas oblationes.

DE

DE DECALOGO,  
DE ALLEGORIA  
Sabbati.

PROpria & simplex sententia præcepti est, quam recitauimus de conseruando ministerio & ceremonijs. Sed alia quædam allegoria sabbati traditur. Quia enim Mosaici ritus abrogati sunt quidam quærunt significationem, & aiunt Sabbatum esse uocationem, cum uidelicet patimur Deum agentem in nobis, ideo Sabbatum intelligunt de patientia. Non improbo hanc allegoriam, sed longius accersita est, & non debet obscurare alteram sententiam de conseruatione ministerij, quæ quidem longè præstantius opus est, quam patientia. Deinde lex non tantum iubet quiescere, sed iubet uacuum diem sanctificare, hoc est præcipit opera certa necessaria ad illustrandam & propagandam gloriam Dei, Cæterum illud uerum est, quod sanctum significat allegoricè statum illum instauratæ naturæ post resurrectionem, in quo non solum cessabunt labores corporis sed etiam calamitates & peccata, non erimus occupati ciuilibus officijs, corpora non edent aut bibent, erimus liberi à peccatis, & à morte, talis quies erit illa noua uita. Sed non tantum erit quies, sed accedet sanctificatio, quæ est præcipua pars Sabbati, quia in illa quiete fruemur  
meti=

## DE DECALOGO.

noticia Dei, & glorificabimus Deum. Hæc est allegoria uera sabbati, sicut docet Epistola ad Hebræos. Et Esaias inquit: Erit sabbatum perpetuum. Quia uero sabbatum illud inchoatur per Euangelium, ideo etiam allegoria sabbati transfertur ad tempus reuelati Euangelij, in his etiam inchoatum est sabbatum in quibus inchoata est illa noua & æterna uita. Nec inutilis est collatio, considerare, quod sabbati opus adumbret uitam æternam. Monet enim in uita æterna non solum quietem futuram esse, sed talem quietem, in qua homines noticia Dei fruuntur, & Deum glorificabunt. Sed ut Allegoria ad futuram uitam pertinet, ita meminerimus in hac uita, opus esse hoc externo sabbato, uidelicet ministerio uerbi Dei & ceremoniarum. Id nunc intelligendum est & præstandum omni cura, ut obediamus, & illa summa beneficia Dei scilicet ministerium uerbi & ceremonias intelligamus, ueneremur & conseruamus.

## DE QVARTO Præcepto.

Quid præcipit quartum  
præceptum ?

## DE DECALOGO.

PRÆcipit ut propter Deum obediamus pa-  
rentibus, magistratibus, doctoribus, & cæteris,  
quibus parentes suam uicem commiserunt. Pri-  
mum autem ordinem considera. Prior tabula tra-  
didit opera, quibus cum Deo proprie agimus &  
quæ sunt instituta ad spargendam & propagan-  
dam noticiam Dei. Secunda tabula continet offi-  
cia, quæ seruiunt proximo, & huic societati homi-  
num necessaria sunt, in qua oportet existere gu-  
bernatores. Ideo primum sancitur lex de obedi-  
entia. Oportet & uitam, coniugia, res defendi,  
esse contractus & iudicia. Ideo adduntur cæte-  
ra præcepta: Non occides, Non moechaberis  
&c.

### Suntne opera secundæ tabulæ cultus Dei?

Duplex obedientia est omnium sequentium  
legum, impia & pia. Impia est, cum homines sine  
timore Dei, sine agnitione Christi & uera fide  
præstant externa officia, quæ leges imperiorum  
honestæ flagitant, ut obtemperent legibus ciuita-  
tum suarum. Plato, Aristoteles, Marcellus, Cicero  
aut similes. Hæc obedientia, & si discipline ne-  
cessaria est, tamen nondum est inchoatio præce-  
pti diuini, nec est cultus Dei.

Alia



## DE DECALOGO.

Alia est pia obedientia politica, seu exterior seu interior, cum uidelicet intelligunt pii, se diuina uoce subiectos esse parentibus, et legitimis magistratibus ac doloribus. Itaque addunt timorem Dei, obtemperant propter Deum, et agnoscunt Filium Dei Saluatorem, et fide statuunt propter Filium Dei placere inchoatam obedientiam. Dicitur est autem supra, omnia precepta ad primum esse referenda. Sic fiunt opera politica cultus Dei, cum accedunt timor Dei, et agnitio Filij Dei Saluatoris nostri, et fides. Cumque referuntur politica officia ad gloriam Dei, hoc est, ut Deo obediamus, et his officijs eius gloriam ornemus, ac noticiam propagemus aut conseruemus.

Hec regula fit illustrior propositis exemplis. Scipio et Dauid gerunt res similes, uterque defendit suam Rempublicam ingenti uirtute, et clarissimis uictorijs. Porro Scipio non habet hunc finem propositum, ut doctrina de Deo propagetur aut conseruetur, non refert suas uictorias ad illustrandam gloriam Dei. Sed Dauid ideo suscipit certamina et labores, ut defensa patria conseruetur uera doctrina de Deo, ac propagetur. Ita singulorum officia in tota uite societate  
intue-

## DE DECALOGO.

intueantur Deum. Quia hanc ipsam ob causam  
ad societatem conditi sumus, ut alij alios de Deo,  
& de rebus bonis doceant. Ideoq; Deus tam uarijs  
uinculis & officijs homines inter se copula-  
uit, ut illa ipsa officia sint exercitia confessionis,  
& monstrent, quid de Deo sentiamus. Huc perti-  
net dictum Christi: Luceat lux uestra coram ho-  
minibus, ut glorificetur Pater coelestis. Proponit  
finem, ad quem referri omnes actiones debent, ui-  
delicet, ut innotescat ac celebretur Deus. Et cum  
inquit: Luceat lux uestra, uult in ipsis factis con-  
spici confessionem & sententiam nostram de Deo.  
Ideo dimicat Machabæus, ut testetur se approba-  
re doctrinam de Deo traditam populo Israel. Ideo  
Paulus perfert ærumnas & supplicium, ut te-  
stetur se approbare Euangelium de Filio Dei. Sic  
omnio nostra officia in societate ciuili sint dire-  
cta ad confessionem. Ostendant quid sentiant  
principes in imperando, Senator in dando consi-  
lio, Populus in obtemperando, singuli in contra-  
hendo. Voluit Deus multiplices esse actiones ui-  
tæ, ut essent occasiones exercendi timoris Dei, fi-  
dei & confessionis. Hæc est causa uera uarietatis  
actionum humanarum, quæ quidem fiunt cultus  
Dei, si sunt diuinitus præceptæ, ac reguntur uer-  
bo Dei, & accedunt timor Dei, & agnitio Filij  
Dei

## DE DECALOGO.

Dei ac fides, & referuntur ad gloriam Dei, ut dictum est. Monachi uituperant officia politica, eisq; detraxerunt honestissimum titulum ac ueram laudem, uidelicet cultus Dei. Et hoc praconium transtulerunt ad ceremonias, aut monasticas superstitiones. Hunc errorem saepe reprehendunt Prophetæ, ut Oseas: Misericordiam uolo, non sacrificium. Item Esa: Iudicate uiduæ &c. Sed contenti sumus Christi testimonio, qui honorifice ornat secundam tabulam, inquit Matt. 22. Secundum autem SIMILE HVIC, Dilige proximum sicut teipsum. Consideranda est enim Emphasis in uerbo Simile. Haud dubiè taxabat opinionem Hypocritarum, qui se efferebant propter ceremonias, & leuius sentiebant de ciuilibus officijs, qualis arrogantia nunc quoq; in Monachis est, & cæteris, qui magno precio Missas uendunt. At Christus monstrat ueros cultus, omnes fitebantur primum præceptum concionari de cultibus Dei, Hic addit Christus, simile esse præceptum de dilectione proximi. Ergo Deus non minus uult coli officijs secundæ tabule quam primæ. Hæc uox Christi exuscitet nos, ut maiore studio hæc ciuilia officia præstemus, quia inquit, Hoc mandatum simile est alteri, docet flagitari hæc officia, & placere Deo non minus, quam ea, quæ

D      docet

DE DECALOGO.

docet prima tabula. Sed intueri debent, ac referri ad eius gloriam, ut dictum est.

Quæ sunt parentum, magistratum  
& aliorum gubernatorum  
officia.

MIRUM uideri potest, cur nominatim expresserit officium subditorum, cum uideatur prius fuisse dicendum de officio gubernatoris. Sed causa hæc est, quia officium gubernatoris expressum est in ipsis præceptis reliquis prioribus & sequentibus, parentes & magistratus uult esse custodes harum legum, & iuxta has leges regere eos, quibus præsumt, curent eos doceri de Deo & assuefieri ad ueram inuocationem Dei & ceremonias diuinitus traditas, ali & coherceri, ne polluantur cædibus, libidinibus, furtis, mendacijs. Hanc esse summam officij parentum & magistratum facile potest intelligi. Itaque cum lex ipsa esset uox gubernatoris, non fuit opus addere, quid sit faciendum magistratui. Ac semper tenenda est hæc eruditissima definitio, quæ extat apud Aristotelem: Magistratus est custos legis ita dicimus parentes esse custodes legis in œconomica disciplina

## DE DECALOGO.

Disciplina, magistratus publici sunt custodes legis in publica ciuitatis gubernatione, quam tueri oportet supplicijs corporum. Etsi autem Decalogus breues habet sententias, tamen sciendum est, ingentem molem negociorum & operum comprehendendi. Paulus etiam breuiter officia parentum complexus est, inquit: Educate filios in doctrina & castigatione Domini. Tria beneficia coniungit, ut alant, ut erudiant, ut castigent, iuxta doctrinam cœlestem.

De cura alendi etiam præcipiunt humane leges, & puniunt crudelitatem parentum, qui uelut corui deserunt paruos natos, eosq; non alunt. Sed quia homines nascuntur, ut noticia de Deo propagetur & celebretur, ideo non satis est natorum corpora fouere, sed etiam addenda est doctrina, præcipuè tradita à Deo, sicut hic inquit Paulus. Et alibi ait scriptura: Narrate ea filijs uestris. Curent parentes tradi liberis præcipuè doctrinam cœlestem de Deo, de lege Dei, de Euangelio ac beneficijs donatis generi humano propter Filium Dei, Iesum Christum, Seruatorem nostrum, de uenturo iudicio, de uita æterna. Deinde etiam tradant aliquam artem uitæ utilem, literis aut aliam.

D 2      Sicut

## DE DECALOGO.

Sicut in alio loco hortatur Paulus, ut pij discant artes honestas, ut possit earum esse usus in gubernatione Reipub. & alijs honestis negocijs huius communis uitæ, Ad Titum ultimo:

ΜΑΝΤΑΝΕΤΟ ΓΑΡ ἡ οἱ ἡμέτεροι καλῶν ἔργων  
προϊσάδῃ εἰς τὰς ἀναγκαίας χρείας ἵνα μὴ  
ὡσιν ἄκαρποι. Discant nostri honestis officijs  
præesse ad necessarios usus, ne sint inutiles, id est  
discant literas, religionis doctrinam, iura, medici-  
nam, aut alias artes laude dignas, exerceant se in  
militia, ut seruire Ecclesiæ & Reipublicæ possint  
Non uult Paulus Christianos se abdere in specus,  
& esse inutilia terræ onera, ut monachi olim suo  
ocio consulebāt et suæ tranquillitati, sed uult nos  
suscipere labores & pericula ad communem so-  
cietatem hominum iuuandam, quam Deus institu-  
it. In his occupationibus luceant fides, confessio,  
obedientia erga Deum, & uera beneuolentia er-  
ga ceteros homines, quomodo potuisset innotesce-  
re ac propagari cœlestis doctrina, nisi Prophetæ  
Apostoli & cætera lumina Ecclesiæ, gessissent ma-  
gistratus, adiuuissent ciues, deuinxissent sibi hone-  
stos homines pijs officijs? Ideo iubet disci artes,  
quarum usus uitæ communi necessarius est. Ex  
his satis intelligi potest, quarum artium doctri-  
nam parentes liberis tradere debeant.

Pertinet

## DE DECALOGO.

Pertinet eadem cura & ad Magistratus. Intueantur hi quoque Decalogum, eurent proponi civibus. ueram doctrinam de religione. Recte constituent Ecclesias et scholas. Puniant Epicureos, idolorum cultores, defensores impiorum dogmatum periuros, deditos magicis prestigijs. Pacem, pudicitiam, facultates defendant, iudicia exerceant, ut cetera praecepta docent: Non occides, Non moechaberis, Non furtum facies, Non dices falsum testimonium. Et finis sit pacis, non ut perfrui uoluptatibus homines possint, sed ut doceri Ecclesiae, Dei noticia in terris conseruari, disciplina retineri, & regi mores possint. Hic est finis, propter quem pax expetenda est, non ut in ocio uoluptates queramus.

Quare & Paulus ad Timotheum de hoc fine concionatur, cum iubet precari pro magistratibus, ut tranquillam & quietam uitam agamus, in omni pietate & honestate. Curent igitur magistratus depelli latrocinia, retineant pacem, Ad quos fines: ut conseruetur pietas & honestas, id est, ut doceri Ecclesiae, institui iuuentus, & mores regi possint.

Nam haec domestica gubernatio cum satis per se sit negociosa, habet opus pace. Tumultus & trepidationes publicae impediunt discentes,

D 3 non

## DE DECALOGO.

non possunt conuenire homines certis temporibus. Non possunt magistratus leges de disciplina condere, iudicia exercere, querere idoneos gubernatores, dare stipendia, inspicere operas, publicos redditus & aedificia tueri, nisi sit tranquillitas. Ideo Deus restituit aliquando pacem imperiis, ut interea rursus instaurari Ecclesie, scholae, disciplina, studia, leges possint. Hæc qui putat sine magnis & uarijs laboribus mediocriter posse perfici, ualde errat. Ideo opus est domestica pace, qua tamen quia homines plerunq; abutuntur, ut est natura hominum prona ad uoluptates, & facile abiicit timorem Dei, præsertim cum poenæ non sunt in conspectu, ideo Deus punit impietatem hominum frequentioribus & atrocioribus bellis ac seditionibus. Hæc breuiter de officijs magistratuum admonuisse satis sit, quorum summam ita facillime comprehendemus animo, si Decalogum intuebinur, & cogitabimus magistratum huius diuinæ tabulæ custodem esse.

Cur textus inquit: **Honora patrem & matrem?**

Honos duo complectitur, Interiorē reuerentiam, & externam obedientiam.

Sunt



## DE DECALOGO.

SVNT autem obiecta duplicia, persona, ut parentes, magistratus, doctores. Alterū obiectum est, ipse ordo politicus diuinitus institutus, qui conseruante Deo legem suam, retinet societatem ciuilem. Est enim ordo ille, ipsa legis diuinæ in externa disciplina conseruatio. Ac secundum obiectum prius aspiciatur. Non dubium est, ordinationi ac legi Dei honorem deberi. Ut autem hæc gratissimæ uices temporum, diei & noctis, æstatis ac hyemis, & leges motuum cœlestium uerè sunt ordinatæ à Deo, sic uerè Deus est autor totius societatis humanæ, deuinxit homines inter se, coniugio, precatione & educatione liberorum mutuis contractibus & officijs, imperijs, addidit legis noticiam, tanquam munimentum huius societatis. Nec tamen aut constitui, aut durare imperia possent, nec exequi legem Dei homines sine diuina ope possent. Ideo Deus excitat & adiuuat gubernatores, & suam legem ipse exequitur, gubernat & armat manus magistratum in puniendis iniustis cædibus flagitiosis libidimbus, furtis, ut conseruari societas possit. Cumque hanc ipsi Magistratus dissipant, uidelicet, cum tyranni monstrosi libidimbus se polluant, rapiunt aliorum coniuges aut liberos, exercent iniustam crudelitatem, defendunt manifestam

## DE DECALOGO.

idolatriam, mutat Deus ipse imperia, ac excitat uicinos reges aut populos qui tyrannos puniant, & leges ad honestam disciplinam restituant. Ita excussis imperio Chaldaeis & Assyrijs, summa potentia ad Cyrum translata est, qui puniuit tyrannos, defendit Ecclesiam, restituit leges, iudicia, disciplinam. Deleto Antonio Deus tradidit habenas imperij Augusto. Deus euexit Constantinum oppressis tyrannis Diocletiano, Maximiano, Maxentio. In hanc sententiam ait Daniel: Deus constituit & transfert regna.

Cumq; has ordinationes sine personis consideramus, uidelicet hominum consociationem, coniugium, ciuiles coetus, imperia, iudicia, leges, disciplinam, magis apparent & ordinis pulchritudo & utilitas. Ac uidemus in hoc ipso ordine lucere sapientiam Dei, & mirificam bonitatem seu beneficentiam erga nos. Delectant oculos uulgi spectacula. Quod potest autem cogitari pulchrius spectaculum hoc ordine, si animo secernamus uicia, quae diabolus ac hominum improbitas & infirmitas admiscet? Quam est honesta societas mariti uxoris, liberorum, cum inter se amant, iuuant, certant officijs, colloquuntur de Deo, deq; eius beneficijs, inuocant una uoce Deum, curant propaga-  
ri

## DE DECALOGO.

ri & conseruari Dei noticiam & ueros cultus?  
Quid est ciuitatis forma iucundius, in qua recte  
constitutæ sunt Ecclesiæ, magistratus tuentur di-  
sciplinam, ciues obtemperant, sunt concordēs, ha-  
bent suos coetus ueræ religionis & iudiciorum  
causa, habent congressus honestissimos in templis,  
in curia, in scholis colunt studia literarum, quæ-  
runt uictum honestis artibus, quibus uita opus ha-  
bet, cultura agrorum, mercatura, opificijs, edifi-  
cant, muniunt urbes aduersus latrocinia. Et ciui-  
um omnium uoluntates spectant ad hunc finem, ut  
in hac societate recte colatur Deus, & Deo obe-  
diatur, propter hanc causam defendunt patriam  
communi animo & consilio. Quod spectaculum  
iucundius hoc ordine cogitari potest?

Sed incurrunt in oculos uicia & confusiones  
œconomiarum & politiarum, contumacia libero-  
rum aduersus parentes, coniugum discordiæ. Et  
in imperijs tyrannides superiorum, negociato-  
rum fraudes, libidines principum & uulgi, docto-  
rum dissensiones, magistratuum negligentia, &  
alia multa incommoda. Qualia monstra inter-  
dum regnant, ut Nero, Sardanapalus & simi-  
les.

D 5 Hæ

## DE DECALOGO.

Hac tetra specie deformatur ordinatio Dei, ne uere conspiciatur, nec putetur hæc societas ciuilis, Dei munus esse. Sed existimentur homines sine Dei consilio concurrisse, ut se defenderent contra bestias aut latrocinia, ut multi prophanti arbitrantur imperia casu oriri, ruere, transferri ab alijs gentibus ad alias.

Hic docenda est iuuentus, ut discernat ordinem, leges, contractus, iudicia, à uicijs deformatibus societatem, Nam uicia à Diabolo & humana infirmitate oriuntur, ut hæc dicta monent: Diabolus est mendax & homicida. Item Deus non est autor ἀκαταστασίας, id est, dissipationis imperiorum. Item: Qui facit peccatum, ex diabolo est.

Primus igitur honos est, de quo hic præcipitur, agnoscere res ipsas, uidelicet, coniugium, & economias ac politias à Deo institutas esse, & eius auxilio conseruari, ac lucere in his ordinationibus Dei præsentiam, sapientiam, bonitatem & amorem erga nos. Et agnoscentes hæc beneficia gratias agere Deo auctori debemus, eamq; orare, ut conseruet, ut depellat diabolum, qui dissipare hanc harmoniam conatur. Ad hunc gradum honoris pertinet & prædicatio seu celebratio harum rerum, ut iuuentus discat eas à Deo ortas esse.

## DE DECALOGO.

esse, & assuescat, ut pijs precibus à Deo petat horum munerum conseruationem. Est & grati animi, libenter obedire propter Deum cauere mala exempla & scandala, quibus bonæ ordinationes dissipantur, & leges obruuntur, deniq; officijs res tam utiles tueri. Haftenus breuiter dictum est de priore obiecto.

Alterum obiectum honoris, personæ sunt, parentes, doctores, & qui imperia tenent. Horum est dissimilitudo ingens. Sed regulam hanc sequi omnes debebant: Parentes & ceteri gubernatores sint uiua lex, id est, custodes Legis diuinæ. Quis autem non intelligit eas personas amandas aut honore adficiendas esse, per quas Deus imperat tanta beneficia, religionem ueram, leges, iudicia, pacem, generi humano?

Tales fuerunt gubernatores, Moyses, Iosue, Samuel, Dauid, Salomon, Iosaphat, Ezechias, Iosias, Cyrus, Constantinus, Theodosius. Est igitur alter honos, qui personas intuetur, agnoscere hoc quoq; Dei munus esse, habere parentes, qui officium suum faciunt, bonos doctores, salutare principes. Nam ordinatio ipsa seu leges sine custode seu executore, sunt infirmæ, ut dicit græcus uersus: ἰσχυροὶ ὁ νόμος ἢ τὰ ἄρχοντα ἔχον.

Valida

## DE DECALOGO.

Valida res lex est, cum principem habet. Ad hunc gradum honoris pertinent hæc officia, gratiarum actio pro talibus personis, precatio pro eis, obedientia, reuerentia persone debita, ueritas, seu candor & æquitas in legibus & actionibus earum iudicandis, condonatio aliquarum imbecillitatum.

2. De gratiarum actione & precatione mandatum extat 1. Timoth. 2. Certum est enim, sapientes, iustos & fœlices gubernatores singularia Dei dona esse, ut Salomon grauissimè dicit, Ut oculus uideat & auris audiat, Deus facit utrunq; Oculus significat gubernatorem, auris populum audientem, ut ergo hæc sint in officio, id est, ut magistratus sit uigilans & intentus, & ut prospiciat communi utilitati, & ut adsit autoritas, quæ moueat cæteros, ut adsentiantur bene monenti, & obtemperent uiolentes, hæc haud dubiè Dei opera sunt. Quare si qua regio, ciuitas aut Ecclesia habet mediocres gubernatores, agat Deo gratias, pro tanto munere, & sedulo oret, ut Deus regat ac adiuuet eos, quia profecto uera est sententia Iohannis: Non potest sibi homo quicquam sumere, nisi datum ei sit de cælo. Nulla gubernatio fœlix est, nisi Deo iuuante, Quare David inquit: Benedictus Deus, qui docet manus meas ad prælium.

## DE DECALOGO.

lium. Item: Qui dat salutem Regibus. Et Salomon inquit: Quis potest regere tantam multitudinem populi? Da ergo mihi cor sapiens.

3. De obedientia præceptum extat Rom. 13. Necessè est obedire magistratibus, non solum propter iram, id est, non solum propter legum poenas sed etiam propter conscientiam. Hanc sententiam meminisse necesse est, quia hic est uerus neruus, qui politias continet & coagmentat. Ideo enim magna pars hominum, id est, omnes sani obtemperant iustis legibus, & mediocribus gubernatoribus, quia intelligunt se Deo hanc obedientiam debere, & ex hac Pauli uoce discunt pollui conscientiam contumacia, hoc est, fieri mentem reane Deo, excuti ex gratia Dei, mereri iram Dei & æternas poenas. Tenenda est igitur regula certissima tradita hoc loco uoce Apostoli. Peccatum mortale est, id est, quod meretur iram Dei & æternas poenas, contumaciter repugnare iustis legibus politicis, & mediocribus gubernatoribus. Sed de iniustis postea dicitur.

4 De reuerentia personæ debita. Dixi primum in bona gubernatione Dei præsentiam & munera agnoscenda esse, & constituendam obedientiam

## DE DECALOGO.

diuentiam, hanc constituta, si persona etiam diuinitus gubernatur, hanc ipsam quoque amemus, nobis anteferamus, et nos ei subijciamus et predicemus dona Dei, quibus ornata est, sicut uenerantur Hetei Abraham, ac inquit: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos. Et mulier Thecutitis dicit ad Dauid: Tu autem Domine mi rex sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei. Discant autem hic pii ueram reuerentiam in animo sitam discernere à fucosis officijs adulatorum, gradus etiam obseruent, ut tribuamus debita munera, non aliena et Dei propria, sicut Ethnici suos reges Deos nuncuparunt, et in templis eorum statuas horribili furore coluerunt et inuocarunt: Amet miles Dauidem, et uera animi reuerentia illum sibi anteferat, sed sciat hominem esse Deo subiectum, ministrum diuini muneris, ornatum à Deo, daturum etiam poenas, si suo munere abutatur, et hac sollicitudine eius infirmitatem deploret, ac petat, ut à Deo adiuuetur. Ac tot millibus annorum uix unus et alter fuerunt Dauidis similes, ut Moyses, Samuel. Ceteri omnes etiam laudati principes quantum habuerunt et habent infirmitatum, quarum consideratio in bonis ciuibus non impedit reuerentiam, sed accendit sollicitudinem, ut pater pius et amans libero  
rum



## DE DECALOGO.

rum, si quem uidet in filio morbum, non ideo minus amat, sed miseratio auget beneuolentiam, & excitat sollicitudinem de eius salute. Simul autem admonet patrem humane infirmitatis, & docet discernendam esse hanc miseram & fragilem naturam ab aeterna, & petendum esse auxilium ab aeterna, uidelicet à Deo, qui ideo uoluntatem suam nobis patefecit, quia uult agnosci, inuocari, seruare inuocantes &c.

De ueritate seu candore & equitate in iudicandis magistratum actionibus generale mandatum diuinum teneatur: Non dicas falsum testimonium. Item Leuit. 19. Non sis calumniator in populo. Et Prouerb. 12. Abominatio coram Deo labia mendacia. Etsi autem in uniuersum mendacia & calūnias Deus prohibet, tamen quia calumnia, quibus deformantur magistratus & leges, magis ornari solent prætectu aliquo, prodest in doctrina de honore debito imperijs, nominatim de his calumnijs monere adolescentiam, eamque diligenter ac serio hortari, ut se assuefaciat, ne cito, ne inexploratis fontibus negociorum iudicet de factis magistratum, aut de legibus. Semeias calumniatur Dauidem, ac uocat cum uirum sanguinum, quasi ipse suo consilio regnum Sauli eripua

## DE DECALOGO.

eripuerit, aut insidiatus sit uitæ Saulis & eius posterorum. Hæc conuicia apud impios cum quadam specie plausibiliter dicebantur, cum tamen re ipsa falsissima essent. Talia sæpe accidunt bonis gubernatoribus. Sæpe audimus quærelas de iudicijs, de foro, imò & de ipsis forensibus legibus, et si autem in tanta hominum infirmitate aliquid accidit uicij, tamen uidendum est, ne res bonas iniuste damnemus propter abusus aliquos, qui accidunt: Amemus ueritatem & candorem in iudicandis rebus, nec pronunciemus inexploratis causis & fontibus negociorum.

6. De condonatione aliquarum imbecillitatum admonet nos exemplum filiorum Noe, Cham maledicitur, quod irridet patrem, qui casu nudatus fuerat. Et multa sunt præcepta de hac uirtute quæ non quidem probat ulla uicia, sed quosdam mediocres morbos in superioribus, & in cæteris quædam honesta animi moderatione tradat. Ingens enim est humanorum animorum imbecillitas. Si maritus coniugem, si pater liberos, si amicus amicum mox abiecturus esset, cum leuis aliqua offensio incidit, quantum mali accideret? Vult igitur Deus gradus teneri, quæ offensiones dissimulandæ sint, & quæ condonandæ communi  
tran-

## DE DECALOGO.

tranquillitati & saluti, quæ econtra non sunt negligenda. Si princeps non est tyrannus, id est, si studet recte facere, & plerumq; recte facit, etiamsi interdum errore aliquo peccat, ut hallucinabatur David, cum Sibæ mentienti attribueret Domini possessiones, aut habet aliquos leues morbos, hæc dissimulanda & æquitate quadam toleranda sunt. De hoc genere præcipit Petrus, inquit: Obedite Dominis, non solum bonis & æquis, sed etiam morosis & durioribus. Dixi de honore, qui tribuendus est bonis & mediocribus gubernatoribus. Sed quid sentiendum est de tyrannis? Respondeo: Hæc tria discerni debent, res, persona, & uicia à diabolo rei admixta. Res est politicus ordo, qui est opus Dei, ut sæpe dictum est. Hunc amabat Paulus, etiamsi Neronem uerè, & ex animo oderat & execrabatur, quem norat horribiliter agitari à Diabolo, detestabatur etiam rei uicia, id est, aliquas iniustas leges, & iniustas expilationes. Deinde & hæc regula tenenda est: Cum tyranni præcipiunt, ut ciues faciant contra aliquod mandatum Dei, anteferendum est mandatum Dei, & non obtemperandum impio edicto Tyranni, ut in Actis Apostoli docent: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Ita Daniel, & eius socij in Babylone, & si in politicis  
E officijs

## DE DECALOGO.

officijs excellenti studio obediebant regi, tamen cum edictum proponeret de adoranda statua, magno animo palam testati sunt, se non obtemperaturos esse.

Ita nunc, cum mandant Pontifices, Reges aut Principes, ne populus audiat puram Euangelij doctrinam, ne pius sacerdos ducat uxorem, & ne omittantur impia spectacula Missarum, & inuocatio mortuorum &c. His edictis nequaquam obtemperandum est, sed pii sciunt idola fugienda esse, sciunt & confessione uera & graui testimonium fidei edendum esse. Et quia singuli ac priuati non defenduntur aduersus tyrannos per superiores ordines, qui partem tenent gubernationis, consolatur nos Deus, & ostendit seuitiam illam ferendam esse pijs, singulis & priuatis, & testatur se uicissim sanctos ornaturum esse gloria, & puniturum esse Tyrannos. Ideo scriptum est: Preciosa mors sanctorum. Et Psal. 71, Preciosus sanguis eorum coram eo. Et Matth. 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam &c. Non igitur mouerunt seditiones Baptista, Christus, Apostoli, sed iniurias tulerunt & uindictam Deo commiserunt.

Nec

## DE DECALOGO.

Nec tamen ideo summi ordines concedere Caligule, Neroni & similibus tyrannis licentiam omnium scelerum debebant. Sed quia pars sunt consilij publici & gubernationis, ad officium eorum pertinet, remouere tales furias à gubernatione, & in omni officio pios defendere, sicut Ionathas Dauidem texit, & milites honestiores, in cohorte Saulis nolebant interficere sacerdotes, & Abdias excepit hospitio & pavit Prophetas, quibus Iesabel necem mimata erat. Et recte Traianus Imperator dixit, cum designaret præfectum prætorio, eiq; de more, ense publicè traderet: Hoc ense, si iustè imperabo, pro me utaris, Sed si iniustè imperabo, contra me utaris. Gradus sunt in imperijs Dei consilio constituti, ut plures conferant consilia & operas, non ad contumelias Dei stabiliendas, non ad polluendam rerum naturam iniustis cædibus, & flagitiosis libidinibus, sed ad ornandam gloriam Dei, & ad disciplinam tuendam & ut gradu aliquo aberrante, cæteri gradus tamen excubent pro communi salute, & frenum iniiciant immaniter grassanti. Michea septimo Deus testatur se irasci conspirationi malorum gubernatorum, & minatur eis commune exitium. Princeps postulat, & iudex in reddendo est, id est,



## DE DECALOGO.

Principes & iudices inter se colludunt, & mutuas operas tradunt. Hæc ne fiant grassantem Tyrannum iudices, id est, socij gubernationis coherere debent. Debent honorem & ipsi Magistratus politico ordini, nec existiment se ad illud fastigiū euectos esse, tantum ut habeant licentiā omnium cupiditatum, sed ut ipsi suo loco seruiant politico ordini, tanquam diuino operi seu diuinæ legi, & hunc ordinem ueris officijs tueantur. Nam & ab ipsis Deus reposcet rationem administrati muneris, ut apud Ezechielem cap. 34. dicitur: Ecce ego ipse super pastores, & requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, ut ultra non pascant gregem meum, nec pascant amplius pastores semetipsos. Et Esa. 10. Væ condentibus leges iniquas, & iniusta scribentibus, id est, iniustas sententias ferentibus, aut iniusta mandantibus. ut opprimant in iudicio pauperes etc. Quid facietis in die uisitationis & uenturæ calamitatis?

### Quid complectitur obedientia debita magistratui?

Obedientia complectitur benevolentiam animi, omnia officia legitima, operas militiæ, & similes

## DE DECALOGO.

les necessariae communi defensioni societatis hu-  
manae, & tributa seu collationem pro modo sa-  
cultatum. Oritur autem uera beneuolentia ex il-  
lis ipsis fontibus, qui honorem seu reuerentiam  
pariunt, quia scis politicum ordinem esse Dei o-  
pus, ac lucere in eo Dei sapientiam & bonitatem  
erga genus humanum, uides & magnitudinem  
utilitatis. Quid est enim dulcius & pulchrius so-  
cietate ciuili, & praesertim honestis & moderatis  
imperijs, quae ornant religionem, iuuant studia  
uirtutis, sunt praesidio iustis, reprimunt & puni-  
unt petulantiam, libidines, iniurias? Deinde quia  
personam boni aut mediocris magistratus uides  
esse custodem tanti muneris, uides & sapientia et  
uirtute praeditum esse, existunt in omnium sano-  
rum hominum mentibus uera reuerentia & ue-  
rus amor erga rem, id est ordinem politicum, &  
personam custodem tanti muneris. Ut igitur in li-  
beris erga parentes sit sopya & uera ardens di-  
lectio sic in populo sit uera beneuolentia erga im-  
peria & magistratus.

Legitima officia sunt omnia honesta opera  
legibus mandata, ut cum prohibet magistratus  
caedes, iniurias, libellos famosos, prouocationes,  
monomachias, gestationem armorum, uagas libi-

E 3 dines

## DE DECALOGO.

dines, obscenas saltationes, belluationes &c. Offendunt Deum contumaces in his rebus dupliciter, & quia Dei mandata uiolant, & quia turbant politicum ordinem. Opera militiæ intelligantur hæ, quas in causis honestis ciues suscipiunt, delecti à suis dominis ad communem defensionem in acie, in obsidionibus, in excubijs, & omnibus laboribus huius generis, uoco et militiam, forensam administrationem, imò & has nostras scholasticas operas, quæ omnes sunt directæ ad conseruationem honestæ societatis, disciplinæ & religionis. Et quidem Iohannes Apostolus grauissimæ nos monet, singula membra Christi cæteris membris defensionem debere, etiamsi uita nostra in discrimen adducenda sit, 1. Ioh. 3. In hoc agnoscimus dilectionem, quod ille pro nobis animam suam posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Quare Christiani defensionem Christianis contra Turcas & Tyrannos debent, quatenus possunt, & accedunt duces & mediocres exercitus, μιὰς ὕψις χερὸς ἀδενὴς μάχης, inquit Euripides.

Tributa uoco ordinariis pensiones, & extra ordinarias ordinationes, si tamen probabilis ratio sit cur petantur. Nam cum ciues uitam im-

pena



## DE DECALOGO.

pendere Reipub. cum opus est, debeant, iustum est eos etiam ad communem defensionem pecunias conferre. Sed ut peccant principes, cum in bellis iniustis obijciunt ciues trucidandos hostibus, ita peccant, cum sine probabilibus causis supra usitatas et ordinarias pensiones ciues nouis & immoderatis collationibus onerant. Sciant gubernatores se quoq; subiectos esse legi diuinæ, Non furtū facias. Distinctæ sunt res principum & ciuium. Et munita est proprietas diuina lege, quare singuli à rebus aliorum abstinere debent, ut infra dicitur. Ideo & Baptista dixit: Non plus quam constitutum est uobis, exigite. Item: Contenti estote stipendijs uestris. Sit igitur modus aliquis horum onerum. Ita pingitur princeps in Daniele, ut Arbor, sub qua multi fructus legunt & pascuntur. Præbeant umbram ciuibus, id est, sint præsidio iustis, & pabulum concedant, defendant & corpora & res eorum. O magnam duriciem eorum, qui non afficiuntur his populi miserijs, cum uident propter immoderatas expilationes tenuiores ciues cū paruis liberis fame contabescere, cum uident alios mediocres ita compilari, ut nec studia, nec Ecclesias fouere possint. His rebus adfici pias mentes summorum & infirmorum iustum est, quare summi sciant non iniustis et

## DE DECALOGO.

immoderatis expilationibus onerandos esse ciues, sciant facultates pauperum non profusioni aut rapacitati potentum seruire, sed publicæ necessitati. Rursus & ciues in causa probabili sint officiosi erga dominos, sed modo facultatum, sicut iubet Christus dare elemosynas, ἐκ τῶν ἐν ὄντων, id est, pro facultatibus, ex eo quod habemus ac dare possumus.

## DE PROMISSIONE ADDITA quarto præcepto.

Vniuersæ legi additæ sunt promissiones præmiorum, quæ reddentur obedientibus, et comminationes poenarum, quibus adficientur contumaces. Quid enim esset lex sine præmijs & poenis? Passim autem hæc promissiones & comminationes repetitæ sunt, sed ut sint in conspectu, aliæ quæ coniungantur, ut hic primo & secundo præcepto, & quarto expressè additæ sunt, tum promissiones, tum comminationes, quas sciamus non esse inanes uoces, sed uera Dei oracula, quibus respondent euentus. Nam etsi Ecclesia est subiecta cruci, & causæ magnæ sunt huius mirandi consilij Dei, tamen in gubernatione politica Deus est custos discipline, ac atrocitæ scelera sine ulla dubitatione

## DE DECALOGO.

litatione corporalibus pœnis punit, ut uidemus homicidas, etiam cum latuerunt, ac euasisse iudicia putantur, tamen mirabiliter ad supplicium retrahi. Hæc manifesta experientia fateri coëgit Ethnicos saniores, Deo curæ esse hominum facta, displicere Deo iniustam crudelitatem, & puniri eam diuinitus. Idem iudicatum est de periurio, et de incestis libidinibus, & de his, qui parentes contumelijs adfecerunt, ac hodie usitato prouerbio dicitur, Tragico genere mortis moriturum esse, qui parentes contumelia adficit. Ipsi etiam meminimus multa exempla.

Vt igitur supra monui, promissiones & comminationes additas esse, ut ad fidem & timorem Dei exuscitemur, ita & in officijs huius præcepti, Deum intueamur mandantem, & adprobantem hæc officia, & uindicem contumaciæ. Multos ignaros Dei, ipsa tamen naturæ bonitas inuitat, ut foueant liberos, sint officiosi erga parentes & cognatos, iuuent communem societatem ciuium. Ac nisi hanc uirtutem & σοφὴν Deus in natura hominum foueret, nulla esset politia. Sed nos qui doctrinam coelestem audimus, sciamus, non solum hac naturali inclinatione hæc officia præstanda esse, sed accedere oportere timorem Dei, qui

E s impel-

## DE DECALOGO.

impellat, ut perpetuo & ardentem ea præstemus, hoc consilio, ut Deo nostram obedientiam declarem, colligamus ergo sententias & exempla, quæ ostendunt pœnas huius uitæ, ut Cham maledicitur à patre, Absolon & Siba, qui seditiones mouerunt contra Dauidem, interficiuntur. Maxentius, qui bonum principem, filium Constantini, Constantem perfidiose & crudeliter interfecit, sibi ipsi postea mortem consciuit. Gratianum modestum principem interfecit Maximus, qui postea à Theodosio captus supplicio adfectus est. Deniq; longissima series esset, si omnium seditiosorum exitus recensere uellemus. Sed tamen utile est, hæc exempla in historijs considerare, ut iudicium Dei metuere discamus, congruunt enim exempla ad hanc uocem Christi: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Accipit enim gladium is, qui non datum à legibus priuata ambitione aut iracundia stringit. Et Rom. 13. dicitur, Qui resistunt potestati, pœnam sibi acquirent. Et Proverb. 24. Time Deum, fili mi, & regem, & seditiosus nec te adiungas, quia subito peribunt.

Nec tamen satis est de pœnis corporalibus concionari, sed addenda est doctrina de eternis pœnis. Ideo Paulus utraq; complectitur cum ait:  
Necesse

## DE DECALOGO.

Necesse est obedire, non solum propter iram, id est, pœnas, sed etiam propter conscientiam. Testatur pollui conscientiam contumacia, id est, excuti gratiam, Spiritum sanctū, & fidem, et amitti hereditatem æternæ salutis, ac fieri reum iræ Dei, ac ruere in æternas pœnas, nisi lapsus iterum ad Deum conuersus fuerit. Polluta conscientia est à Deo auulsa, non inuocat, sed fugit Deum. Quid potuit igitur à Paulo tristius hoc loco dici? Quæ est maior miseria, quam esse auulsum à Deo, non inuocare Deum, non regi, non iuuari à Deo, ac deniq; ruere in externum exitium? Harum pœnarum metus in animis iuuenum & imperitorum excitandus est, ut hoc quasi freno regantur, & temerarios impetus coherceant, assuesfaciant se ad amandam tuendamq; disciplinam, sint morigeri parentibus, obtemperent politico ordini. Nec dubitent diuinitus puniri petulantiam & disciplinæ contemptum.

Dixi primum de pœnis, quia magis mouentur animi mentione pœnarum, et quædam incurunt in oculos. Conferatur & doctrina de præmijs. Hæc obscurior est, & non intelligitur, nisi à pijs & exercentibus fidem in his corporalibus promissionibus, quæ quidem ideo Deus addidit.  
præce-

## DE DECALOGO.

præceptis, ut in quotidiana uoce sit occasio exercendæ fidei & inuocationis, ut quia dictum est: Date, & dabitur uobis, iuuat paterfamilias pauperem uicinum, & petiturus uicissim uictum & suarum facultatum defensionem, primum in inuocatione quærit fide remissionem peccatorum postea statuit uerè et hanc corporalem uitam, hanc suam sedem, domum, politiam, suos agellos, prata uineas, Deo curæ esse, Tertio petit uictum, & harum rerum conseruationem. Ita promissiones corporales de multis rebus pios admonent, quod cum in hoc præcepto dicitur, transferatur ad omnia. Duo fratres sunt in eadem familia, Esau et Iacob. Excruciat Esau parentes ductis uxoribus impijs, quæ contumeliose socerum & socrum trahabant, Imperat & ipse superbius in paterna domo, expulso fratre, cui insidiabatur. Nec metuit pœnas, nec præmia diuina curat. Econtra uero Iacob & parentes ueneratur, & fratrem amat, metuit enim iudicium Dei & pœnas, deinde intelligit etiam præmia esse proposita, facit hoc officium, ut bona conscientia Deum inuocare possit deinde agnoscit hæc corporis bona etiam Deo curæ esse, & petit se defendi ac iuari. Ita fidem et inuocationem exercet dum studet omni officio lenire moestitiam parentum & cedit fratri. Ornatur

## DE DECALOGO.

tur ergo ingentibus præmijs à Deo, eruditur mirandis testimonijs, defenditur inter hostes, locupletatur, seruat, ut senex uideat florentem filium Ioseph.

Ionathas magno cum dolore uidit patris sui Saulis iniustum furorem, & sepe grauissimè reprehendit. Sed discernit ordinem diuinum & uicium, quod diabolus admiscuerat. Non adiuuat patrem molientem exitium Dauidi, sed seruit naturæ ordini, diligit eum, & ingenti dolore afficitur propter scelus patris, deinde seruit regno, id est, tuetur politicum ordinem, & sustinet totam molem ueræ gubernationis. Nam hic iuuenis uerius rex fuit, quam pater. Cur igitur unà cum patre interficitur, cum hic promittatur longæuitas illis qui colunt parentes? Respondeo: Ingenti gloria fuit antea à Deo ornatus, accepit igitur pro uirtute etiam in hac uirtute præmia. Et quanquam ipse singulari Dei consilio tollitur è medio, ne de regno certamina incidant inter Dauidem & ipsum, tamen eius posteritas mansit ac floruit gloria tanta, ut fortissimi uiri à Ionatha orti recenseantur usq; ad tempora exilij Babylo-nici, cum quidem reliqua tota posteritas Saul statim post ipsum deleta sit. Hac series posteritatis

Iona

## DE DECA'LOGO.

Ionathæ annotata est 1. Paralip. 8. Accessit igitur præmijs Ionathæ & hæc conseruatio diuturna, & ut sic dicam, longæua posteritas, annorum ferè quingentorum. Hæc & similia exempla iuuentus consideret, & discat uerè Deo curæ esse etiam corporis bona, & dari ea pro officijs disciplinæ erga parentes, magistratus, præceptores, consideret quanti sint labores, quantæ curæ educationis, quis uerus amor parentum erga liberos, quanta beneficia sint institutionis. Pro his tantis rebus agnoscat se debere gratiam. Deus intellectum gratitudinis indidit humano generi, & homines inter se obligat ad referendam gratiam, quam ob causam? ut discamus in his communibus exemplis etiam ipsi summo conditori, qui & corporis bonis, & æterna gloria nos ornat, gratiam deberi.

Vt igitur excitentur mentes ad gratitudinem Deo præstandam, assuefaciendæ sunt ad hanc uirtutem, tanquam his primis rudimentis. Quomodo mens aget gratias Deo æterno, quod naturam condidit, quod fecundat quotannis terram, ut nos alat, quod condidit genus humanum ad uitam æternam, & Filium misit, ut restitueret uitam æternam, quod tradidit certam doctrinam legis & Euangelij, quod Ecclesias & politias constituit,



## DE DECALOGO.

stituit, si tanta est durities  $\nu\epsilon\gamma$   $\alpha\sigma\omicron\pi\gamma\iota\alpha$ , ut nec matris pericula & dolores, quos in partu sustinuit, nec assiduos labores educationis, quos ambo parentes sustinuerunt, magni aestimet, nec propter hæc officia parentibus se subijciat? Sunt tales naturæ multæ, quarum feritas detestanda est, & commonesaciendi sunt pueri, ut hanc ipsam ob causam discant intelligere & colere gratitudinem debitam hominibus, ut excitentur ad gratitudinem Deo præstandam. Deinde, quia ætas tenera ac rudis nondum uidet quanti sint labores gubernationis, horum etiam magnitudo aliquo modo eis declaretur, ut discant se gratiam & magistratibus debere. Ac omnino quoties fit mentio gratitudinis, de quarto præcepto Decalogi cogitent, sciant eam contineri in hoc præcepto, & flagitari diuinitus, ac Deo placere, sciant puniri diuinitus ingratos, ut Salomon in Prouerbis inquit: Non recedet malum à domo ingrati. Semper autem accedat & hæc cogitatio: Ideo hominibus inditus est intellectus gratitudinis, ideo hæc communia officia nobis præcipiuntur, ut discamus Deo deberi gratitudinem. Est autem gratitudo uirtus seu iusticia quædam qua uoluntas se obligat illi, à quo beneficium accepit, ad mutua officia debita proportionem, ad diligendum

## DE DECALOGO.

dum eum, à quo beneficium proficiscitur ad orandum eum aut tuendum, ut narratur Marci cuiusdam, qui praturam gesserat, & Bruti partes secutus fuerat, insignis gratitudo. Hic Marcus cū post pugnam factam in campis Philippicis captus esset, ac inter seruos uenditus, emptus est à quodam Barbula, qui fuit amicus Antonij. Etsi autem Marcus erat ignotus Barbula, tamen ingenij uis, prudentia, moderatio morum digna uiro nobili elucebat. Quare eum Barbula in comitatu secum duxit, non tam ut seruum, quam ut amicum. Forte igitur, cum tandem Romam eum secum duxisset, ibi agnoscitur Marcus. Agnitum Barbula propter uirtutem seruare cupit. Quare ei per Agrippam ab Augusto ueniam impetrat, qua impetrata, non solum libertatem ei reddit, sed ipsum quoq; restituit Reipublice & honoribus, uenit enim Marcus in Augusti noticiam & familiaritatem. Audisti beneficium Barbula. Nunc gratitudinem Marci cognosce. Post Actiacam pugnam superato Antonio mirabili casu Barbula inter uictos uenditus, emitur à Marci procuratore. Cum autem aliquanto post ad Marcum adductus esset, mox agnoscitur. Memor igitur Marcus accepti beneficij, exponit Augusto quid acciderit, ac ostendit se necessario deprecari pro Barbula,

## DE DECALOGO.

Barbula, à quo antea seruatus sit. Laudat Augustus Marci officium, & propter uirtutis admirationem dat ueniam Barbulae. Iam Marcus uicissim libertatem reddit Barbulae, eumq; Reipublicae & honoribus restituit, Rara sunt haec Exempla, & multo plures sunt ingrati. Nec raro accidit hic, quod in Tragœdia quispiam quaeritur: Men, seruasse, ut essent qui me perderent? Sed quia rara uirtus est gratitudo, ideo mediocri diligentia rudis aetas assuescenda est, ut eam intelligere & colere discat.

Haftenus de poenis contumaciae inferiorum & premijs obedientiae dixi. Sciant autem & gubernatores ad se quoq; minas & promissionem pertinere, parentum negligentiam grauius puniri testatur exemplum sacerdotis Eli. Imo magna pars calamitatum humanarum oritur à parentum & gubernatorum negligentia, ac ne sim prolixior, unam hanc sententiam adscribam, quae semper in conspectu esse parentibus & praceptoribus adolescentiae debet. Non est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis istis. Si quis laeserit unum de paruulis istis in me credentibus, melius ei esset, mergi eum in mare &c. Magnum & atrox scelus est uel negligentia

E      fre=

## DE DECALOGO.

frenos disciplinae iuuenti laxare, nec praua institutione, aut malis exemplis eam corrumpere. Hæc quam sit usitata in uita, nimis manifestum est. Cum parentes aut præceptores sunt Epicurei, non assuefaciunt suos ad agnitionem & timorem Dei, interdum alunt & confirmant malas opiniones. Hæc scelera puniri diuinitus non dubium est, sicut Deus inquit: Contemntes me, reddam contemptos.

Econtra uero pios ac uigilantes parentes, præceptores, & Magistratus multa docet promissio de exercenda fide, eosq; magnopere confirmat. Magnum, difficile, ærumnosum & periculosum onus sustinent magistratus omnes, in quo gerendo, experientia docuit magnos & mediocres reges ac duces, gubernationem rem esse supra hominum sapientiam & uires positam, ac Dei auxilio indigere, qua de re extant innumerae sententiae, etiam in Ethnicis scriptoribus, sed nos credamus grauißimo testimonio Baptistæ, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi ei sit datum de super.

Exercent igitur pij Magistratus fidem, cum petunt & expectant à Deo consilium & auxilium

## DE DECALOGO.

lium in tota gubernatione. Ac norunt p̄ hoc exercitium, & sciunt hanc inuocationem non esse irritam, Sicut pulcherrimum exemplum extat. 2. Paral. 20. Cum ignoramus quid agendum sit, hoc unum restat, ut oculos nostros ad te dirigamus. Sæpe autem accidit, ut negocia incidant, quæ consilijs humanis inextricabilia sunt: In his cum facere officium suum magistratus student, & fide auxilium petunt, sentiunt se iuari à Deo etiamsi euentus non prorsus nostris cogitationibus respondent, ut supra de Ionatha dictum est. Hæc est uera politica sapientia, supra Aristotelicam, & supra cōsilia sapientum, qui Deum non uerè inuocant, sed decurrunt ad uaria & inconcessa præsidia. Hæc etiamsi non intelligit rudis ætas, tamen monenda est, ut discant hæc duo, faciendum esse officium, nec admiscenda esse mala consilia, & petendam, ac forti, magno & constanti animo expectandam esse defensionem à Deo, sicut Psalmus 36. ait, Cōmenda Deo uiam tuam, & ipse faciet. Item, Subditus esto Deo, & ora eum. Item, Expecta Deum, & custodi uiam eius. O salutarem sapientiam, quæ & euentus parit fœlices, & in periculis magnam consolationem & constantiam consiliorum adfert.

DE DECALOGO.  
DE REVERENTIA ET OBEDI-  
entia debita ministris Euangelij.

ET SI in tertio precepto dictum est de mi-  
nisterio Euangelij conseruando, tamen maxime  
probandum est, quod in hoc quarto precepto  
docent de obedientia & reuerentia prestanda  
pastoribus Ecclesiarum recte docentibus. Sed  
semper tenenda est aeterna & immutabilis regu-  
la: Fugite idolatriam. Item: Si quis aliud Euange-  
lium docebit, anathema sit. Quare necesse est ui-  
tare idola, necesse est discedere ab ijs, qui idola  
& impias opiniones defendunt, etiamsi uocantur  
ordinaria potestate, ut auditores Baptistae &  
Christi oportuit dissentire a Phariseis damnanti-  
bus Baptistae & Christi doctrinam. Etsi autem  
dolendum est, fieri magnas distractiones ac di-  
scordias, quae pariunt alia multa mala, caedes,  
bella, mutationes imperiorum, tamen mandatum  
Dei, Fugite idolatriam, est immutabile. Recte igitur  
faciunt, qui seiungunt se a defensoribus ido-  
lorum & impiarum opinionum, nec sunt suffra-  
gatores in defensione idolorum, libidinum &  
parricidiorum. Hoc saepe dictum est, & hic dici  
locus postulat. Deinde de Pastoribus recte do-  
centibus Euangelium, & non defendentibus ali-  
quos impios errores, hanc doctrinam necesse est  
infi-

DE DECALOGO.

infixam esse omnium animis, deberi obedientiam ipsi ministerio Euangelij, sicut dicit aeternus Pater de Filio: Hunc audite. Et Filius ait de ministerio: Qui uos audit, me audit. Quare execrandus est furor maximæ multitudinis hominum, quæ contemnit Euangelium & ministerium Euangelij. Debetur & ipsis pastoribus recte docentibus obedientia in his, quæ ad ministerium pertinent, id est, in Euangelio, & uera iurisdictione tradita in Euangelio. Item dilectio, reuerentia, uictus, defensio. Hæc aliquoties præcipit Paulus, ut 1. Theß. ultimo: Eos qui præsumunt in uerbo, diligite excellenter propter ministerium eorum, & pacem erga eos tuemini. Et ad Hebræos ultimo: Obedite doctoribus uestris et obtemperantes eis, ut cum gaudio & non gementes suo munere fungi possint. Singularis doctrina hoc præcepto continetur, cum ait, ut fungi possint suo munere non gementes. Nam cum per sese omnis gubernatio, maximè uero Ecclesiastica difficilima sit & plena ærumnarum, ualde cumulantur ærumnæ, cum ad externa impedimenta accedit domestica contumacia. Econtra uero cum domi concordia est, facilius sustineri certamina cum externis hostibus possunt. Ideo iubet auditores, ut suo obsequio leniant gubernatoribus cæteras difficultates, et in-

F 3      duant



## DE DECALOGO.

duant eosdem effectus, ostendant se publicam tranquillitatem priuatis negocijs anteferre, quod nisi fiat, cumulantur impedimenta.

Reuerentia autem, quam nominavi, est agnoscere eos diuino ministerio fungi, ac nosipsum subijcere huic ministerio, nec maledicere uerae doctrinae, nec calumniose deprauare recte dicta & recte facta piorum pastorum. Postremo & moribus eorum infirmitatem aliquam condonare, quae tamen non coniuncta est cum impietate nec manifestam turpitudinem continet. Id significat Christus, cum lauat pedes Apostolorum, & exemplum eos imitari iubet. Tunc lauas pedes sacerdotum, cum sordes eorum placide detergis, & tua diligentia offensiones sanas, non exulceras. Contrarium faciunt homines prophani, nec solum acerbè exagitant leuia uicia aut errata, sed etiam uirulentis calumnijs recte dicta & recte facta deprauant, & insidiosè aucupantur & captant aliqua, quae in speciem reprehendi & traduci possunt. Haec sycophantia non est leue peccatum, quare se quisq; adsuesfaciat, ut recte docentes ex animo ueneretur, ut si quam habent imbecillitatem, sine impietate, & sine manifesta turpitudine, cogitent sese etiam uicia habere, quo



## DE DECALOGO.

quorum ueniam ita sint impetraturi, si & alijs ipsi ignoscant, ut ait Christus: Remittite, & remittetur uobis. Nota est uetus fabula de duabus manticis. Sua uicia homines gestant in mantica quæ pendet in tergo, aliena gestant in contraria. Cur tui pastoris morbos uides, tuos negligis. Hæc iudiciorum peruersitas, gignit postea alias pestes, liuorem & odia, quæ inuocationem impediunt. Et interdum perniciofa dissidia sequuntur in Ecclesijs, quæ rectè constitutæ fuerant. His malis cum occasionem præbet iudicij tui peruersitas de rectè docentibus, scias ad te pertinere tristissimam concionem Christi: Væ homini, per quem exoritur scandalum. Cæterum longior est doctrina de ritibus, quos Episcopi seu pastores instituunt, seu ut uulgo dicimus, de traditionibus humanis. In Ecclesijs rectè institutis, ubi ritus seruiunt ministerio Euangelij, quod cum Deus publicum esse uelit, ordine quodam administrandum est, teneatur regula, quod propter conseruationem ministerij & bonum exemplum seruandi sint illi ritus, quia non pugnant cum Euangelio. Sed quod extra casum scandali, uiolatio non sit peccatum. Sed ritus impij fugiendi sunt, inuocatio mortuorum, oblatio pro uiuis & mortuis in missa, & aliæ superstitiones,

## DE DECALOGO.

Et irrita ac nulla est autoritas legum, quæ pugnant cum mandatis diuinis, ut legis de coelibatu, Sed hæc aliàs copiosius dicuntur.

## DE QVINTO præcepto.

Postquam obedientia constituta est in quarto præcepto, reliqua deinde præcepta tradunt ordine uera officia debita proximo, scilicet ne corpori, coniugi, fortunis alterius noceamus. Item, ut simus ueraces, seruantes pacta &c.

### Quæ sunt peccata pugnantia cum hoc præcepto ?

Duplicia sunt, exteriora & interiora. Exteriora sunt, iniuste corpus alterius ledere externo aliquo facto, Item iurare aut approbare tales iniurias, Item non defendere eos, quos tueri debuimus. Hic gradus habet pœnam corporalem. Deus enim seuerissime mandat, ut homicidia puniantur. Nec mandat solum, sed ipse est custos huius legis, nec relinquit, impunitos homicidas, sicut testantur hæc uerba : Vox sanguinis fratris tui clamitat &c. Et Christus inquit : Qui gladium acceperit, scilicet non datum à magistratu & legibus, gladio peribit. Quare etiamsi quis effugerit magistratum manus aliquandiu, tamen  
sciat

## DE DECALOGO.

fiat se Dei manum effugere non posse, qui mirabiliter retrahit fontes, etiam ad corporales poenas. Ita Deus sua ope hanc legem conseruat, ut retineat pacem in societate humana, et ostendat, se hoc exemplo puniturum esse peccata. Hæc prodest infigi intimis sensibus pectoris, et ut timor Dei coherceat homines, et agnoscamus presentiam et iudicium Dei. Ac exempla priuata et publica testantur Deum esse uindicem, ut necesse tyrannorum, poenæ mouentium iniusta bella, item crudeliter imperantium. Sed interiora peccata sunt cupiditas nocendi in animo, odium, maleuolentia, ἀσοφγία, negligentia in defensione, quia lex Dei requirit perfectam obedientiam, ideo non solum præcipit, ne manu noceamus, sed etiam ne cor nocere cupiat. Sic interpretatur legem Christus Matth. 5. et requirit perfectam obedientiam.

### Quæ sunt bona opera huius præcepti?

Duplicia sunt, politica et spiritualia. Politicum est, abstinere ab externa cæde, non iuuare, non approbare iniurias corporum, defendere eos, quos tueri debemus. Hæc est politica iusticia, quæ existere potest etiam in impijs, et re-

F 5      quirit

## DE DECALOGO.

quirit eam Deus, ac retinet pacis publicæ causam,  
& ornat corporalibus præmijs, ut, iusta bella ge-  
rentes defendit, ut Romanis dedit Imperium. In-  
teriora opera sunt in timore Dei, fide & agni-  
tione Christi, uel obedire Deo in hoc præcepto,  
uacare odio, maleuolentia, cupiditate nocendi, de-  
lere uicem eorum, qui iniurijs afficiuntur, habere  
uoluntatem defendendi & iuuandi alios, esse plu-  
cabilem, non esse tenacem simultatum aut offen-  
sionum, non esse cupidum uindictæ.

### Estne licita uindicta?

Vindicta mandata Magistratibus, est opus,  
quod fit autoritate & mandato Dei iuxta leges.  
Ideo propriè & uerè pertinet ad hanc senten-  
tiam: *Mihi uindicta, & ego retribuam, id est,*  
*Dei est uindicta, quam Magistratus legitimè ex-*  
*ercet. Multæ autem partes sunt uindictæ legiti-*  
*mæ, iudicia, bella, defensio legitima aduersus la-*  
*trones, pœna legitima latronum & tyrannorum.*  
Hæc concessa sunt etiam Christianis quia magi-  
stratus est res bona, & ordinatio diuina, qua li-  
cet uti Christianis, Rom. 13. Sic fuerunt in impe-  
rijs Ioseph, Dauid, Centurio, & multi sancti prin-  
cipes & reges. Sed priuata uindicta prohibita  
est,

## DE DECALOGO.

est, sicut Paulus inquit: Non ulciscentes uosmet-  
ipsos. Est autem priuata uindicta, quæ fit sine au-  
toritate Magistratus. Itaq; etiam Magistratus  
priuatam uindictam exercet cum sine legum au-  
toritate, priuata cupiditate innocentes lædit.

### Quæ uirtutes pertinent ad hoc præceptum ?

Dilectio proximi, iusticia in non ledendo,  
beneficentia in defendendo. Mansuetudo impe-  
rans ira, placabilitas, clementia ἡ ἐπιείκεια in  
mitiganda acerbitate imperiorum, misericordia.  
Ἐλεος ἢ ἔλεος, quæ est affici alienis bonis ἢ ma-  
lis. Vicia opposita sunt, odium, maleuolentia, in-  
iusticia, cupiditas nocendi, cupiditas uindictæ, de-  
sertio eorum, quos defendi oportuit, crudelitas,  
quæ pugnat cum ἐπιείκεια, implacabilitas, ἄσοφ-  
γία, non esse misericordem. Gaudere in alienis  
malis. Non affici alienis bonis aut malis.

### Peccatne Dauid, cum ait: Pera- fecto odio oderam eos ?

NON peccat. Nam irasci propter glo-  
riam Dei, ἢ amorem iusticiæ, est uirtus, ἢ  
quia

## DE DECALOGO.

quidem peculiaris & excellens motus inest sanctis uiris, inflammatis studio defendendæ gloriæ Dei, aut defendendæ iusticiæ, aut ira aduersus impietatem & turpitudinem. Hic impetus placet Deo, sicut Phines propter zelum promittitur sacerdotium. Et 4. Reg. laudatur Iehu, qui inquit: Vide zelum meum pro Domino. Et alibi dicitur: Zelus domus tuæ comedit me, id est, exarsi magno impetu defendendæ domus Dei. Hoc affectu Helias, Heliseus occiderunt impios, & Prophetae maledicunt impijs, ut in Psalmis apparet. In heroicis uiris est similis quidam impetus defendendæ iusticiæ, puniendæ turpitudinis, tuendæ Reipub. &c. Hunc affectum Philosophi uocauerunt Nemesein. Et quanquam talis ira est heroica, nec simulari potest, sed est peculiare donum Dei, tamen Magistratus, quantum fieri potest, talem zelum & talem iram imitari debet. Sed tunc peccatum est irasci, cum priuata cupiditate incitati irascimur, uidelicet, non principaliter propter gloriam Dei, aut amorem iusticiæ, aut odium turpitudinis, sed quia nobis commoda nostra eripiuntur, & interturbantur uoluptates. In talibus priuatis causis irasci, odisse alios, & incendi cupiditate uindictæ, sunt peccata contra præceptum. Diliges proximum sicut teipsum.

Et

## DE DECALOGO.

Et Christus Matth. 5. refert ad hoc præceptum, Non occides. Item iubet inimicos diligere, & prohibet priuatam uindictam.

Atq; hic cauendum est, ne priuatis affectibus atq; odijs prætexatur species zeli, ut hypocritæ & tyranni sepe faciunt. Postremo in hoc præcepto considerentur comminationes & promissiones. Comminationes aliquas supra recensui. Homicidia haud dubiè punit Deus etiam corporalibus pœnis, sicut ait Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et de Abel dicitur: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Econtra proponamus nobis etiam promissiones, ut ad clementiam & cohibendum cupiditatem uindictæ nos inuitent. Christus inquit: Beati mites, quia possidebunt terram. Item, Remittite, & remittetur uobis. Et Ecclesiastici 28. Aduersus ulciscentem Deus exercebit uindictam, & peccata illius seruabit. Item, Remitte proximo, qui tibi nocuit, & tunc deprecanti tibi remittentur peccata. In primis autem in Repub necessaria uirtus est cohibere cupiditatem uindictæ, quia ibi nisi interdum dissimulemus iniurias, existunt ingentes motus. Hic condonandæ sunt iniuriæ communi tranquillitati, sicut docet præceptum, Dilectio est uinculum integritatis, id est, ne dissoluatur Ecclesia.

fia.

## DE DECALOGO.

sio. Valde laudatur græcum illud præceptum,  
μη μνησικακησῃ.

Quomodo fit hoc præceptum, &  
quomodo placet Deo, &  
fit cultus Dei ?

Omnia præcepta referenda sunt ad primū.  
Nam hoc sine omnia fieri debent, ut in ijs officijs  
Deo obediamus. Ita igitur fit hoc præceptum,  
cum prius fide statuimus, nos propter Christum  
placere Deo, & postea incipimus obedire Deo in  
his præceptis. Timemus Deum, nec uolumus eum  
offendere. Ideo abstinemus ab iniusta uiolentia,  
repugnamus iracundiæ, reprimimus odium. Et  
hæc exercitia non sunt facilia. Ideo pijs in hoc  
certamine adiuuantur à Spiritu sancto. Hæc in-  
choata obedientia, & si procul abest à perfectio-  
ne, tamen propterea, quia sumus in Christo, pla-  
cet Deo, sicut & Psalmus concionatur pijs: Ira-  
scimini, & nolite peccare, id est, resistite iræ. Fit  
autem cultus Dei propter finem, quia hoc sine  
prestat, ut Deo obediamus in his officijs. Item  
propter ipsum retineamus Ecclesiæ tranquillita-  
tem.

SEXTVM PRAECEPTVM:

Non mœchaberis.

Quid



## DE DECALOGO,

### Quid præcipit sextum præceptum?

Approbat conlugia, coniugalem consuetudinem. Deinde prohibet omnes uagos concubitus, et prohibet non tantum externa facta, sed etiam affectus impuros & incendia animorum, sicut Christus interpretatur: Qui uiderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est.

### Recita comminationes additas huic præcepto.

Non solum est imbecillitas magna in animis hominum, qua fit, ut facile inflammetur concupiscentia, sed etiam horribilis cecitas est, quæ facit, ut extenuent homines hoc peccatum, nec uideant iram Dei aduersus hoc peccatum, nec moueantur minis æternarum pœnarum aut corporalium pœnarum. Nam maximæ calamitates humane plerunq; sunt pœnæ idolatriæ, tyrannidis & libidinum. Ita in causis diluuij recensentur libidines. Sodoma conflagrarunt propter nefariam impuritatem. Ciues Sichem interfecti sunt propter stupratam filiam Iacob. Deinde in deserto propter libidines una die uiginti tria milia hominum perierunt: Postea ferè tota  
tribus

## DE DECALOGO.

tribus Beniamin deleta est propter stupratam  
Leuitæ uxorem. Filij Heli propter adulteria pe-  
rierunt. Dauidis adulterium magnas ipsi & re-  
gno calamitates attulit. Ostendunt pœnas hu-  
iusmodi flagitiorum etiam aliarum gentium hi-  
storia, ut Troia propter raptam Helenam euer-  
sa est. Romæ tota Respublica mutata est propter  
Lucretiam ui compressam. Deinde propter  
Appij scelus, qui Virginij filiam rapere conatus  
est, iterum mutata est Respublica. Plutarchus  
narrat duas puellas à Laconicis iuuenibus per  
uim stupratas deinde interfectas esse. Narrat  
& alia quedam facinora, sed in pugna Leuctri-  
ca Lacedæmonij uicti sunt ad sepulchra illarum  
puellarū, ut appareret Deum ulcisci illa supra.  
Pausanias Spartanus propter raptam & inter-  
fectam puellam, postea fame necatus est. Mile-  
tus, Sybaris, Athenæ, & aliæ Græciæ ciuitates,  
deniq; Roma propter libidines euersæ sunt. Con-  
stantinopolim aiunt etiam ante captiuitatem hor-  
ribilibus sceleribus pollutam fuisse.

Has Historias attigi breuiter, ut similia ex-  
empla obseruentur uetera & recentia, eaq; scia-  
mus non casu accidere, sed pœnas esse diuinitus  
irrogatas pro talibus flagitijs. Ac certissimum  
signum

## DE DECALOGO.

signum est impendentis exitij imperijs & ciuitatibus, quando ad ipsa uicia accedit impunitas & contemptus peccati. Sicut Esai. 3. dicitur: Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt. Cum talis est licentia, sciamus non procul esse pœnas. 1. Corinth. 6. Fornicatores, adulteri, &c. non erunt hæredes regni Dei. Et sequitur deinde longa concio, Ephes. 5. Omnis fornicatio & impudicitia non nominetur inter uos. Gal. 5. Opera carnis sunt adulterium &c. qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Coloss. 3. Fornicatio & impudicitia &c. propter quæ uenit ira Dei super inobedientes. 1. Thess. 4. Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis à fornicatione. Hebræor. 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Hebræ. 12. Sequimini sanctificationem, sine qua nemo uidebit Dominum. 1. Pet. 2. antefert cæteris peccatis libidines, & significat præcipuè propter libidines puniri homines priuatim & publicè. Iniustos ad diem iudicij reseruat, maximè uero ambulantes in concupiscentia immunda iuxta carnem. Itaq; exempla testantur publicis calamitatibus sepe punitas esse libidines. Ephes. 4. docet cæcitatem & securitatem comitari libidines, cum ait: Qui cum dedoluerunt, se tradunt immundicia. Et Oseas mo-

G net

## DE DECALOGO.

net cecitatem poenam esse libidinum. Ebrietas & fornicatio auferunt cor. Sunt autem gradus libidinum, qui & poenarum gradus habent exemplis sacrarum literarum & legibus. Nam imperia debent publicis poenis hæc flagicia punire, sicut testatur hæc sententia: Lex posita est iniustis. Hic autem intelligamus etiam uicina uicia prohiberi, quæ alunt libidines, qualia sunt, intemperantia, ocium, luxus, sicut ait Ezechiel cap. 16. Hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & ocium, & manum egeni non porrigebant. Ideo fecerunt abominationes, propter quas deleui eos. Vt autem propheta coniungit uicina peccata, ita hic prohibentur omnia uicia, quæ alunt libidines, ut intemperantia, ocium, ebrietas.

### Quomodo fit hoc præceptum?

Ita fit, cum agnoscimus immundiciem nostram, & fide statuimus nobis Deum propitium esse propter Christum, & incipimus Deo obedire in hoc præcepto sic, ut in timore Dei & propter Deum repugnemus affectibus, qui ad libidines incitant, & abstineamus à scortatione, adulterijs & incestis libidimbus, sed coniugio piè utantur illi, quibus est opus, iuxta illud Pauli: Propter

## DE DECALOGO.

pter fornicationem unusquisq; habeat uxorem suam. Nam coniugalem consuetudinem approbat Deus, sicut Christus clare docet Matth. 19. Et Paulus 1. Cor. 7. & 1. Tim. 2. Hæc inchoata obedientia placet Deo, propterea, quia sumus filij, et habent ingentia præmia, sicut testatur exemplum Ioseph. Et quanquam hærent in nobis uiciosi affectus, tamen condonantur ijs, qui repugnant & credunt in Christum.

### DIC SEPTIMUM Præceptum.

Non furtum facias.

Quid præcipit?

Vitæ opus est rerum usu, possessione, & contractibus. Ideo iam docet etiam in his rebus Deo seruire, & primum, quia uetat furtum, sequitur, quod liceat suum cuiq; tenere. Quare rerum distinctionem & dominia approbat. Estq; doctrina utilis conscientie, intelligere, quod Deo placeat hæc externa & politica ordinatio distinctionis dominiorum. Econtra prohibet omnia uicia, pugnantia cum hac ordinatione, furtum, rapinas, iniustos contractus, & quascunque

G 2 expi

## DE DECALOGO.

expilationes priuatas & publicas, mendicitatem, non necessariam, negligentiam in curandis facultatibus nobis commissis, prodigalitatem & profusiones & sumptus inutiles, corruptelas, quibus emuntur patrocinia in malis causis, mercedes iniustas, imposturas in mercibus &c. Nec tantum exteriora facta prohibentur, sed etiam interiora uicia, auaritia et omnis cupiditas iniusti lucri & πλεονεκτημάτων, tenacitas in dandis necessarijs eleemosynis, in iuuanda Ecclesia & Repub. postremo & naturalis concupiscentia repugnans huic præcepto. Heret. n. in animis hominũ diffidentia, qua fit, ut non expectent homines uictum et cætera commoda uitæ à Deo. Inde oritur sollicitudo de uictu & fortunis, quæ impellit homines ut appetant aliena, ut insidiantur alieno quoquo modo quæant. Itaq; accusat & hoc præceptum omnes homines, & erumpit concupiscentia adeo ut mundus plenus sit furtorum, id est, iniustorum aucupiorum, iniustorum contractuum, rapacitatis & similium uiciorum.

### Quomodo fit hoc præceptum ?

Cum agnoscimus nostram infirmitatem, & fide credimus nobis propter Christum remitti peccata

## DE DECALOGO.

peccati, fit hoc præceptum, cum inchoatur obedientia, uidelicet, cum petimus & expectamus ex Deo uictum & fortunas, & simul iuxta mandatum Dei laboramus, & iuste parto utimur, & propter timorem Dei cauemus illicitos modos querendi res. Item damus de nostro necessarias elemosynas propter mandatum Dei, iuuamus quantum possumus de nostro Ecclesiam, uidelicet ministros Euangelij, & studia. Item, Rempubli- cam. Hic magna consolatio est pijs, intelligere, quod hæc obedientia Deo placeat, & quod hæc ipsa œconomica officia, id est, diligentia parandi facultates, & legitimus usus earum, sunt cultus Dei.

### Licetne Christianis tenere proprium & esse diuites ?

Licet tenere proprium, & habere diuitias, sicut multæ sententiæ testantur. Paulus ad Timotheum ait : Præcipe diuitibus, ne superbiant &c. Non igitur prohibet esse diuites. Et in genere tenenda est regula, quod Euangelium non aboleant politicas ordinationes. Pertinet autem & distinctio dominiorum ad politicas ordinationes. Item Euangelium uocat ad Christum Reges & Principes, manentes in imperijs. Licet igitur esse di-  
G 3 uites.

## DE DECALOGO.

uites. Sed regula Salomonis tenenda est, qui ait: Fontes tui deriuentur foras, & tu dominus eorum esto. Hac figura pingit & proprietatem rerum & eleemosynas. Vt enim alijs concedimus, ut ex fonte nostro hauriant aquas, aut deducant riuulos, ita tamen, ut nos fontis dominium retineamus, sic ex fructibus nostris patrimonij congerenda sunt eleemosynæ, ita tamen ut fundus nobis sit saluus, seu ut sit incolume patrimonium. Nam & Reipublicæ causa opus est esse multos diuites. Igitur utraq; uirtus necessaria est, parsimonia in conseruandis patrimonijs & liberalitas in largiendis eleemosynis, sed necessarijs.

### Quæ sunt eleemosynæ necessariæ?

Tria genera sunt præcipuè necessaria. Primum, conferre aliquid ad ministerij Ecclesiastici conseruationem. Hoc officium sepe præcipitur in scripturis. Christus ait: Dignus est mercede is, qui laborat. Et Paulus ad Corinth. Sic & Dominus ordinauit, ut ij, qui annunciant Euangelium, uiuant ex Euangelio. Et addit magnas promissiones Christus in Euangelio. Qui dederit minimo in nomine discipuli, non perdet mercedem suam.



## DE DECALOGO.

suam. Et extant passim in Prophetis promissiones amplissima, ut Haggæi primo, & Malachiæ primo. Sciant ergo pij hoc genus eleemosynarum ita necessarium esse, ut qui non præstant pro sua uocatione & facultatibus, & pro suo loco, grauius offendunt Deum. Principes & Respub. debent tueri pios ministros, et curare eis uictum. Debent & studia excitare suo sumptu. Sic & priuati debent liberaliter conferre ad alendos ministros Ecclesiasticos & studiosos. Debent & alijs officijs eos iuuare.

Secundum genus est, largiri egenis cognatis, ut parentibus, fratribus, liberis, aut alijs propinquis, quia in dandis eleemosynis primum est habenda ratio propinquorum, sicut Paulus inquit ad Timotheum: Discant primum exercere pietatem erga propriam familiam, & uicem reddere parentibus. Ita si quis suos, & maxime domesticos, non curat, deterior est infideli, quia cognatis dupliciter obligati sumus, & naturali φιλοσογία, & propter illud commune præceptum de iuuandis egentibus. Sape autem existit naturalis φιλοσογία, etiam in ignaris Euangelij.

Tertium genus est iuuare alienos, quos tamen præsens occasio nobis commendat, scilicet, quia

## DE DECALOGO.

nobiscum uiuunt, & impediti ualetudine aut alijs ueris difficultatibus, non possunt sine alieno auxilio uiuere. Hos petentes non iuuare pro modo facultatum est peccatum, sicut 1. Iohan. 3. scribitur: Qui habet facultates, & uidet fratrem suum egere, & claudit uiscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Ita & lex Mosi, cum precipit, ut singula ciuitates suos egenos sustentent, significat presentibus talia beneficia deberi. Nam in Deuteronomio cap. 15. nominatim fit mentio illorum, qui nobiscum habitant. Sic enim inquit textus: Si unus de fratribus tuis qui moratur intra portas ciuitatis tue, in terra, quam Dominus Deus tuus tibi daturus est, ad paupertatem redactus fuerit, non obdurabis cor tuum &c. Et deinde: Non deerunt pauperes in terra habitationis tue. Idcirco ego precipio tibi, ut aperias manum fratri egenti & pauperi, qui tecum habitat in terra. Constituit & Paulus modum eleemosynis, 2. Corin. 8. ut ita largiamur, ne nobis sit tribulatio, alijs remissio, sed ut ex equalitate pro presenti occasione, ex eo quod nobis superest, consolatur illorum inopie. Hic cum nominatim dicat, ex eo quod superest, uult, ut largiamur de fructibus patrimonij, nec tollit discrimina diuitum & pauperum. Non enim tollit di-

stin-

DE DECALOGO.

*stinctionem dominiorum, & politicas ordinatio-*  
*nes. Nam & paulò ante præfatus est, se de uo-*  
*luntaria collatione loqui, non imperare ut disce-*  
*dant à facultatibus. Ergo æqualitas intelligenda*  
*est non Arithmetica, sed Geometrica, id est, ut ra-*  
*tione fiant æquales diuites & inopes, uidelicet,*  
*ut quo quisq; ditior est, eo sit liberalior. Item, ut*  
*diuites benignè largiantur, inopes uero & non*  
*abutantur aliena liberalitate, nec utantur alieno*  
*nisi in necessitate, non exhauriant aliorum pa-*  
*trimonia & c. Nam mendicitas quæ non habet*  
*probabilem causam, est peccatum, & furti spe-*  
*cies, sicut 1. Thess. 4. dicitur: Adhortamur uos*  
*fratres, ut studeatis esse tranquilli, & suum quis-*  
*que officium faciat, & laboret suis manibus. Et*  
*2. Thess. 3. Si quis non uult laborare, non comedat.*  
*Item, Ut cum tranquillitate laborantes, proprium*  
*panem comedant. Talibus ignauis mendicis non*  
*est opus, largiri. Ac uidendum est in eleemosynis,*  
*ne sint profusiones ad ostentationem comparatæ,*  
*sed necessitati aliorum consulant propter man-*  
*datum Dei. Hæc uera officia seuerissimè præce-*  
*pta sunt, & habent grauissimas comminationes*  
*& promissiones, sicut ait Christus: Esuriui, &*  
*non dedistis mihi cibum. Prouerb. 21. Qui obtu-*  
*rat aures ad clamorem pauperis, uicissim clama-*  
G 5      bit

## DE DECALOGO.

bit & ipse, & non exaudietur. Item Esai. 58.  
Frangere esurienti panem tuum & c. tunc inuocabis,  
& dominus exaudiet.

### Licetne Christianis uti contractibus?

Licet, iuxta usitatam regulam: Euangelium non abolet ordinationes politicas aut œconomicas, & quidem iura naturæ non abolet. Sunt autem cōtractus iuris naturæ, quia uita humana habet opus mutua communicatione, quæ fit per contractus. Quare sciat Christianus contractus esse ordinationem Dei, sicut alias politicas ordinationes, quemadmodum & Salomon dixit: Libra & pondus iudicia Domini sunt, id est, res à Deo iuste ordinatæ. Sed in primis consideret Christianus finem illarum ordinationum principalem. Deus enim hæc dona ordinauit ad hunc finem, ut per ea mutuam charitatem exerceamus.

Quare Christianus in fide utetur contractibus, tanquam dono Dei, & sciet his officijs exercendam esse charitatem erga proximum. Quare non defraudabit proximum per pratextum contractuum, nec struet per contractus insidias proximo. Quatenus autem utendum sit con-  
tra-

## DE DECALOGO.

tractibus, & quatenus lucra concessa sint in contractibus, leges politicae consulendae sunt, quia Christianus potest uti legibus civilibus, & uidentum est, in quibus contractibus leges concedant lucra, & approbent, in quibus non approbent, ut in uenditione & locatione rerum uel operarum mediocria lucra conceduntur. Aut enim officia, aut res seu opera communicantur. Ut autem possit esse perpetua communicatio, necesse est effici aequalem compensationem. Si enim una pars tantum daret, altera tantum acciperet, non esset perpetua communicatio, Ideo leges non uolunt officia rebus compensari, sed officijs, quia res alterius partis exhaurirentur, & iure naturali quaedam officia homines debent hominibus, uidelicet quae nobis non nocent, & alijs necessaria sunt. Sunt igitur gratuiti contractus mutuatio & depositum. Rursus ubi res uel opera communicantur, necesse est rebus uel operis fieri compensationem. Ideo in emptione uel locatione lucra conceduntur. Ita lex naturae docet aequalitatem in contractibus. Nam haec sententia est lex naturae, ne quis locupletari uelit cum detrimento alterius. Hic quaeritur de ritibus, item contractu cum pacto redemptionis. Item de eo quod interest. Item de usuris.

DE

## DE DECALOGO.

### DE REDITIBVS.

Reditus sunt duplices, alij constituti sunt à legitima potestate in bonis subditorum. Hi sunt moderati, sicut uectigalia esse conuenit, sunt liciti. Nam magistratibus debetur stipendium, ut Rom. 13. scriptum est. Ita & Deus constituit sacerdotibus decimas. Caterum potestates uiderint, ne immodice onerent bona subditorum, quia peccant contra hoc mandatum Dei: Non furaberis, cum sine iusta & necessaria causa ad Rempublicam pertinente onerant populum nouis aut immodicis tributis, quia populus habet proprietatem in suis rebus, sicut historia de Naboth testatur 3. Reg. 21.

Alij reditus sunt priuato arbitrio constituti, ut cum aliquis constituit in fundo certo seruitutem pro precio, ut alius inde quotannis habeat certam pecuniam, aut certos fructus. Hi contractus etiam sunt liciti, scilicet, si sint ueræ uenditiones, hoc est, si fundus posset sustinere hoc onus, & in contractu uere insit fundus, unde reditus sit soluendus. Tales reditus uendere, emere, & possidere licitum est. Vt enim licet totum fundum uendere, ita fundi partem. Aut, ut licet in fundo iter, aut actum constituere, ita licet hanc seruitutem constituere, ut alius accipiat aliquam partem

## DE DECALOGO,

tem fructuum, si tamen fundus id onus sustinere possit, & seruetur in emptione mediocris æqualitas. Ac tales emptiones non fiunt uiciosæ pacto redemptionis. Cum igitur maneat natura emptionis, etiamsi tale pactum accedit, licet emere, uendere & possidere fundos aut redditus cum pacto de reuendendo.

## DE VSVRIS.

### Licetne usuras accipere?

Non licet, Quia Christus inquit: Mutuum date, & nihil inde sperantes. Et Lex prohibet Deuterono. 23. Fratri tuo absq; usura mutuabis id quod indiget. Et Psalmo 14. Qui pecunias suas ad usuram non dedit. Et Ezech. 18. Sunt autem usuræ, quando in mutuatione paciscimur ut aliquid supra sortem nobis propter ipsam mutuationem detur. Ideo autem sunt iniustæ usuræ, quia exigitur non debitum. Soluens enim mutuum, nihil amplius debet, & tamen amplius exigitur pro nulla re. Ergo non seruatur æqualitas. Et hæc causa est, cur usuræ exhauriant ciuitates, quia foeneratores auferunt plurimum, pro quo nihil recipit soluens. Non potest igitur talis communicatio esse perpetua, cum non sit mutua compensatio.

Est

DE DECALOGO.

Estne usura, Reditus habere emptos  
in aliquo certo fundo fructifis  
cante, ut supra dictū est ?

Respondeo : Non est usura, quia ille contra-  
ctus non est mutuatio, sed uera emptio. Concur-  
runt enim ibi substantialia emptionis, merx, pre-  
cium & consensus. Merx est ius seu seruitus in  
in illo fundo fructificante. Atq; hinc facile potest  
iudicari, quando sit uera emptio, scilicet, cum  
subest merci aliquod corpus, quo corpore pereun-  
te, reditus periret. Item in mutuacione is qui de-  
dit mutuo, retinet ius repetendæ sortis. Sed is  
qui emit reditum in alienis bonis, non habet ius  
repetendæ pecuniæ. Ergo ille contractus non est  
mutuatio.

De eo quod interest,  
Estne usura, soluere id quod  
interest ?

Respondeo : Id quod interest, omnino differt  
ab usuris. Nam id quod interest, debetur etiam  
sine pacto, & tunc habet locum, cum aliquis al-  
teri dedit efficacem causam damni, ut si quis pro-  
misisset se soluturum esse ad Calendas Maij, &  
illo non soluente ego damno aliquo affectus es-  
sem,



## DE DECALOGO.

sem, ob hanc ipsam causam, quia illa pecunia caruissim, ille, quia dedit efficacem causam damni, debet soluere id quod interest. Iusta est igitur ratio, & consentanea naturæ, cur soluendum sit id quod interest, quia nemo debet uelle locupletari cum damno alterius. Hoc exemplum aliquo modo indicat, quid uocetur interesse, & ubi locum habeat. Non enim debet prætexi rapacitati sceneratorum, qui mutationem tantum in questum conferunt, nec petunt id quod interest, quia mutuo accipiens dederit efficacem causam damni, sed simpliciter petunt lucrum. Cum autem magna sit uarietas contractuum, prudentia adhibenda est in iudicando, nec temere pronunciandum est, & cum contractus sint res politicæ, ualet iudicium magistratus ac legum, id est, sapientis & æqui Iurisconsulti de contractibus, sicut & de alijs rebus politicis. Hic sapiens Iurisconsultus discernet usuras, & id quod interest. Conferet etiam mandata diuina cum iure humano, ne approbet aperte pugnantia cum mandatis Dei.

## DE RESTITVTIONE.

**Estne uera regula: Peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituitur?**

Respon-

## DE DECALOGO.

Respondeo: Hæc regula uera est in genere de omnibus, qui scientes & uolentes alienum detinent, & habent unde reddant seu possunt reddere, sicut Paulus inquit: Qui furatus est, deinceps non furetur. Atqui ille, qui furatus est, tantisper est fur, dum alienum sciens ac uolens detinet, sicut is, qui rapuit alienam coniugem, tantisper est raptor seu mœchus, dum eam retinet. Ergo cum Paulus uetat deinceps furari, uult alienum reddi, ut ille, qui inuasit alienum, desinat esse fur. Hæc generalis regula tenenda est. Sed impossibilitas habet excusationem, & sunt uarij casus, in quibus adhibenda est ἐπιείκεια, ut in aliquibus arcanis negocijs cauenda sunt scandala, & cauenda est infamia, quia famæ iactura maior est quam rerum iactura.

Contra:

Satisfactio est inutilis,  
Restitutio est satisfactio,  
Ergo restitutio est inutilis.

Respondeo: Nego minorem, quia restitutio uerè & propriè est pars contritionis, non est illa canonica satisfactio, quam definiunt esse opera non mandata &c. Exemplum, ut: Peccatum non remittitur retinenti alienam coniugem, id ad contritionem pertinet. Ita rem alienam reddere,

## DE DECALOGO.

dere contritionem pertinet, quia contritio est  
pauor & dolor de peccato, & deinceps non  
committere facta contra conscientiam & man-  
datum Dei.

An quæ tenentur præscriptio-  
ne, iustè tenentur?

Respondeo: Iustè tenere res præscriptione,  
quia autoritate legis tenentur, quæ est uerius do-  
mina rerum, quam priuati, sed absit dolus in præ-  
scriptione, & concurrant reliquæ circumstan-  
tiæ, de quibus leges præcipiunt, ut scilicet bono  
titulo rem nactus sis.

An rapta in bellis sint re-  
tinenda?

Respondeo: Iusta bella gerentes fiunt uerè  
domini corporum & rerum quas capiunt, ideo  
& corpora & res captas iustè tenent. Sunt au-  
tem iusta & legitima bella, quæ suscipiuntur à le- Iusta bella  
gitimis potestatibus ad propulsandam iniustam quæ.  
uim seu latrocinium. Est & alia species iusta,  
cum bellum à superiore potestate suscipitur ad  
puniendū manifestum scelus alicuius populi sub-  
diti, ut Israelitæ mouerunt bellum ad puniendum  
tribum Beniamin, propter stupratam Lewitæ con-  
iugem. Nam Deus constituit magistratus, ut de-  
pellant

H

pellant

## DE DECALOGO.

pellant latrocinia, & puniant manifesta delicta, Rom. 13. Cum autem bellum sit una ex acerbissimis poenis, quibus Deus punit mundum, pleraque accidunt in bellis atrociora, quam exacta norma iusticie postulat. Nec medium in his actionibus accurate constitui potest, sed si principalis causa iusta est, bellator sciat militiam illam esse licitam, & res occupatas iuste possideri. Ceterum bellator si est pius, non suscipiet nisi necessaria bella, moderabitur non necessariam crudelitatem. Denique in multis rebus non sumit sibi licentiam usatam impijs militibus.

## DE REDITIBVS Ecclesiasticis.

Ecclesia habet opus aut collationibus, aut redivibus, propter tres causas. Primum, ad alendos ministros Euangelij. Secundo, ad scholas conservandas, ubi sumptus suppeditandi sunt doctoribus, & aliquibus pauperibus scholasticis. Tertio etiam alij uere pauperes ex publico iuandisunt. Propter has tres causas opus est Ecclesie facultatibus, sicut & Paulus iubet ministros ab Ecclesia ali. Item suppeditari pauperibus. Et quoniam populus tenuiter confert, principum officium

## DE DECALOGO.

officium est, constituere Ecclesijs redditus aut pensiones, sicut etiam significat Esaias cap. 49. cum ait: Reges erunt nutricij tui, & reginae nutrices. Et ex Augustino & historijs apparet, has initio causas fuisse donationū Ecclesiasticarum. Ad dominium harum rerum pertinet non ad Pontifices aut Principes, aut populum, sed ad Ecclesiam, hoc est, nec Episcopis, nec Principibus, nec populo licet hos redditus transferre ad alios usus, quam ad conseruationem ministerij & studiorum.

Hinc facile iudicari potest, multiplicia esse furta in hoc genere, quia omnes, qui fruuntur his bonis, neglecto ministerio Euangelij, & neglectis studijs, peccant. Hic est ingens numerus Episcoporum, Canoniorum & Monachorum, qui non sunt usui Ecclesiae, qui deuorant facultates Ecclesiasticas, cum interea esuriant pastores, aut nulli habeantur, & negligantur studia.

Huius rei imago in historia passionis Christi proposita est. Sicut enim milites diuidunt uestes Christi, & de eis sortiuntur, ita principes & potentes partiuntur inter se episcopatus & sacerdotia, neglecto ministerio & neglectis studijs. Donatistarum Ecclesijs publici magistratus auferrebant facultates, & transferebant ad pias

H 2 Eccle

## DE DECALOGO.

Ecclesias, qua de re etsi conquerebantur Donatista, & disputabant, propter dissensionem dogmatum nemini eripiendas esse facultates, tamen Augustinus respondit, hanc pecuniam esse Ecclesie, ideoq; rectè per superiores Magistratus eripi his, qui non pertinent ad Ecclesiam, & transferri ad ueros usus Ecclesie. Discernendæ etiam sunt in hoc casu priuatae facultates & alienæ. Peccant igitur grauissimè & alij, qui ita diripiunt facultates Ecclesiasticas, ne quid inde decidatur ad usus Ecclesie. Peccant & Respub. quæ nihil conferunt ad conseruationem ministerij & studiorum. Hæc furta non sunt leuia peccata, sicut testantur grauissimæ conciones in Prophetis, ubi Deus seuerissimè minatur illis, qui non iuuant ministros templi, ubi debent iuuare, aut conferre ad eos iuandos. Haggæi primo: Ædificate domum meam, & placebitis mihi. Item, Domus mea deserta est, & festinat unusquisq; ut suam domum extruat. Ideo prohibui, ne coelum det rorem, & ne terra sit fœcunda. Et Malachiæ tertio: Inferte omnem decimam in horreum meum, & aperiam uobis cataractas cœli, & effundam benedictionem, id est, incrementa, augmenta, abunde. Et Prouerbiorum tertio. Honora Deum de tua substantia, & de primitijs omnium frugum

## DE DECALOGO.

gum tuarum, & implebuntur horrea tua saturitate, & uno torcularia redundabunt. In his operibus uult Deus exerceri fidem, quæ si adesset, liberaliores essemus in hoc genere officiorum. Si enim uerè expectaremus à Deo facultatum conseruationem, profecto libentius largiremur.

## DE OCTAVO præcepto.

### Quid præcipit octauum præceptum?

Iubet ut propter Deum præstetur ueritas in omni uita, dictis & factis, ac nominatim in iudicijs, in contractibus & pactis, requirit ueritatem. Vide autem, quam late pateat hoc præceptum, regit iudicia, pacta, contractus, & complectitur partem iusticiæ particularis, scilicet, quæ uetat, ne fraude & per calumniam alij lædantur. Sunt enim duplices iniuriæ. Aliæ fiunt ui, aliæ sine ui manifesta, sed dolo & fraude fiunt. Violentia prohibetur in quinto & septimo præcepto. Hic prohibentur mendacia, imposturæ,

H 3 calumnia

DE DECALOGO.

calumnie. Ita sparsa ex iusticia particulari in  
 hac præcepta. Nam iusticia particularis prohibet  
 iniurias utriusq; generis. Porro hac uirtus,  
 quæ uetat mendacia & calumnias, uocatur ueritas.  
 Ut autem superiora præcepta alias partes  
 Reipublicæ munierunt, ita hoc præceptum munit  
 iudicia, pacta & contractus. Facile autem pos-  
 sunt agnosci peccata crassiora pugnantia cum  
 hoc præcepto. Ut enim hic confirmantur iudicia,  
 & omnia forensia officia, si rite & bona consci-  
 entia fiant, sicut et iuramentum de calumnia præ-  
 cipit, ita econtra damnantur omnes falsæ & ca-  
 lumniosæ accusationes & defensiones & senten-  
 tiæ in iudicijs. Deniq; tota sophistica forensis,  
 item falsa testimonia & consilia, item depraua-  
 tio artium & c. rectæ doctrinæ, item uiolatio pa-  
 ctorum & promissorum in contractibus. Deniq;  
 insidiosa simulatio aut occultatio in moribus &  
 uita, quia ueritas non modo in pactis, promissis  
 aut iudicijs requiritur, sed etiam in tota uita, ui-  
 delicet candor, simplicitas, id est, rectitudo seu in-  
 genuitas, quæ facit, ne temere de alijs suspicemur,  
 ut dextre interpretemur aliorum dicta aut fa-  
 cta, ne sinistra interpretatione deprauemus pro-  
 babiliter dicta aut facta, ne insidiosa occultatio-  
 ne captemus aliquod πλεονέκτημα, ne sit in  
 ami-



## DE DECALOGO.

amicitia simulatio, sed luceat in dictis & factis,  
& omni consuetudine rectitudo quædam, & ap-  
pareat nos serio & bono studio agere omnia,  
quæ ostendimus, & præ nobis ferimus. Talis in-  
genuitas attribuitur Achilli apud Homerum, qui  
ait, se odisse, ut mortem, eos, qui aliud dicunt,  
aliud sentiunt. Etsi autem maximè decet heroi-  
cos uiros hæc ingenuitas, tamen requiritur in  
omnibus, ac maximè in explicatione doctrina-  
rum, Sed præceptum Dei non modo uirtutem  
ipsam requirit, sed etiam postulat, ut referatur  
ad gloriam Dei, hoc est, ut amemus & præstemus  
ueritatem, ut Deo obediamus. Est & uulgare ui-  
cium maledicentia, uidelicet illorum, qui libenter  
serunt, de alijs sermones, quibus eorum fama læ-  
ditur, aut qui delectantur acerbitate aut scurri-  
litate conuiciorum, aut qui obtrectant alienæ ex-  
istimationi. Hæc omnia uulgo detrectationem uo-  
cant. Et aliàs hæc consuetudo ex naturæ uanità-  
te oritur. Quosdam enim hi sermones sine ulla  
causa delectant, tantum propter naturæ uanità-  
tem. Aliàs ex ambitione & inuidia, interdum spe-  
cies est adulationis maledicere alijs in aliquo-  
rum gratiam. Sunt enim quedam distorte natu-  
ræ adeo uirulentæ & plenæ liuorum, & suspica-  
ces, ut sola naturæ maleuolentia sine alijs causis  
H 4 impela

DE DECALOGO.

impellat eos ad maledicendum. Quo in genere peccant non tantum qui serunt fabellas, aut crimina de alijs, sed etiam auditores, qui libenter uel auidè audiunt, sicut Pindarus inquit, Inuidis obsonium esse maledicta. Cum autem hoc uicium sit communissimum, discamus frenare linguam, & corrigamus morbos animi, qui aut pariunt aut confirmant linguæ petulantiam, & meminerimus eam pugnare cum hoc præcepto: Non dices falsum testimonium. Et Christus ait: Nolite iudicare, ne iudicemini.

Sed hic queritur, an non licet manifesta & publica uicia reprehendere? Respondeo: Sententia Christi: Nolite iudicare, non prohibet officium iudicis, aut concionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, et in rebus dubijs calumnias.

**Priuata maledicentia.** Est autem priuata maledicentia, quandocunq; extra iudicium, aut concionem, aut deliberationem, aut piam castigationem, dicuntur in alios conuicia, etiamsi uera & manifesta sunt, ibi uidelicet non dicuntur, ut uel ille emendetur, qui accusatur uel consulatur alijs, sed erumpunt aut ex naturæ uanitate, aut ex morbo animi. Porro hoc tempore est usitatum maledicere summis atque infimis, & præsertim principibus & doctoribus, imo ipsis etiam artibus, & sæpe in rebus dubijs

## DE DECALOGO.

dubijs calumniose repræhenduntur, ubi ea, quæ sunt ambigua, non erant in deteriorem partem interpretanda. Multo plus peccant, qui rectè facta aut dicta calumniose deprauant, sicut sæpius accidit. Porro quam turpis res sit, & Deo displicens, calumnia, hoc potest animaduerti, quod ab hoc uicio autor peccati, diabolus, nomen habet. Et hoc loco sciendum est, eos, qui falsas fabulas de alijs serunt, debere illis restitutionem fame, sicut in furto debent restitutionem rerum, quia inter bona externa præcipuum est bona existimatio. Rectè enim dicitur: Bona conscientia nobis opus est, bona fama autem de nobis opus est proximis. Nam honesta opinio inuitat alios ad uirtutem, ideo in Prouerbijs scriptum est: Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Et Ecclesiastici 41. Curam habeto de bono nomine, hoc enim præstantius est mille thesauris. Et extat uersiculus, Honestus rumor alterum patrimonium est. Et grauius inquit Gerson: Nonnunquam facilius satisfit pro homicidio corporali & furto, quam pro calumnia. Et de his, qui dicunt conuicia de gubernatoribus Ecclesiarum, ait Anacletus: Deteriores sunt, qui doctorum uitam moresq; calumniantur, quam qui diripiunt aliorum prædia.

H s An

DE DECALOGO.

An omne mendacium est mortale peccatum ?

Mendacia & in hoc præcepto prohibentur & alibi. Nam Leuit. 19. scriptum est : Non mentiemini, nec decipiet unusquisq; proximum suum, non eris calumniator, nec susurro in populo. Est autem mentiri, aliud loqui quam sentias, seu dissimulata ueritate falsum dicere, id uniuersaliter est mortale peccatum, cum fit iniusta uoluntate nocendi. Sed in dictis & factis sanctorum sunt etiam quedam figure, ut, Abraham dissimulat Saram esse coniugem et uocat sorore. Ægyptiæ obstetrices mendacio excusant se, cur non interficiant infantes Hebræorum. Rahab mendacio defendit exploratores, & scriptura testatur, Deum premia reddidisse pro his officijs. David simulat se habere morbum, cum ad regem inimicum uenisset. Iudith fallit Holofernem, & medici sepe fallunt agrotos, ut eos uiuent. Propter huiusmodi dicta & facta pleraq; in scripturis & communi uita discernuntur mendacia.

Distinguuntur autem tres species. Primus sunt perniciofa mendacia, quæ fiunt cum iniusta uoluntate nocendi, ut cum falso alij accusantur.

Hæc

## DE DECALOGO.

Hec omnia sine dubio sunt peccata mortalia. Porro, mendacium sua natura est peccatum mortale, etiam sine uoluntate nocendi, si uidelicet ex uanitate ingenij dicatur, nec habeat probabilem & honestam causam, qualia sunt adulatorum mendacia, quæ contra conscientiam dicunt, aut qualia dicuntur à iactabundis, & alia multa. Alia species est figura seu ironia, cum uidelicet propter honestam & iustam causam aliquid occultatur, aut etiam figuratè aliud dicitur aut ostenditur, Vt cum Abraham dissimulat Saram esse uxorem, ipsa uero occultatio per sese in talibus causis non est mendacium. Nam mentiri non est tantum occultare, sed occultata ueritate falsum dicere. Christus colloquens cum duobus discipulis, etiamsi non ita se ostendit, ut mox agnoscat, tamen non negat se esse eum, qui erat. Tales occultationes, quæ adhibentur in ijs rebus, quas dicere non necesse est, nec mendacia sunt, nec peccata, & plerunq; adhibentur propter aliquam utilitatem.

Secundo, ubi uero manifestatio spontanea peccatum esset, ibi concessæ sunt figuræ, quæ tegunt negocia, Vt Rahab peccasset, si ultro prodidisset exploratores. Et mulier 2. Reg. 17. peccasset, si ultro prodidisset nuncios Dauidis. In talibus

DE DECALOGO.

Mendacium.

libus casibus licet uti ironijs. Tunc enim figuræ illæ non sunt propriè mendacia. Nam mendacium propriè est deprauatio eius, quod dici debet. In hoc casu Rahab interrogata est de eiusmodi negotio, quod non debebat dicere. Hinc facile possunt discerni mendacia, quæ nullam habent excusationem, ab ironijs, quæ habent excusationem, si scilicet consideretur, aut id quod debet dici, occultetur, uel deprauetur. Sic aduersus hostem licet uti occultatione nostrorum consiliorum & figura aliqua, sed eatenus, ne uiolentur pacta. Nam pactorum et iurisiurandi religio iure diuino seruanda est. Ideo etiam fides hosti data seruari debet. Sed præter pacta & iusiurandum uti occultatione consiliorum, uel aliqua figura concessum est. Sic occultare licet innocètem, quem tyrannus aliquis inquit, ut eum afficiat supplicio, quia in tali casu manifestatio spontanea peccatum est. Constituta ergo definitione, quid sit mentiri, facilis erit dijudicatio, ubi sint excusabiles figuræ. Est enim mentiri non solù occultatio, sed deprauatio contra conscientiam de ea re, quam dici oportuit.

Addunt tertiam speciem iocosam, ut poemata, apologos, false dicta. Sed hæc nequaquam sunt mendacia, sed potius picturæ eius quod sentimus. Quod ut sit illustrius, proponimus in exemplis  
qui

## DE DECALOGO.

quibusdam propter similitudinem naturarum adhibitis, ut lupus est imago tyranni, uulpecula imago hominis circumspecti & astuti. Ad hoc genus pertinent omnis generis false dicta in quotidiana uita, quibus utimur ad admonendos homines, quale illud est Philippi de iudice, qui faciem pinxerat fucis, hunc iussit abdicare officium, inquit, *Fucatum non uerè iudicare*:

## DE RELIQUIS DVO- bus præceptis.

Reliqua duo præcepta addita sunt, ut interpretentur legem, & discernant legem Dei ab humanis legibus & à philosophia. Nam leges humane prohibent externa facta. Sed hæc præcepta testantur legem Dei, non solum de exterioribus factis loqui, sed etiam de interioribus affectibus, & inclinatione ac immundicia nature. Cum igitur ait lex, *Non concupisces uxorem aut rem proximi*. Duo cõplectitur, & affectus malos, et causam malorum affectuum, scilicet ipsum morbum nature, qui uocatur peccatum originis. Hunc morbum humane leges & philosophia non iudicant esse peccatum. Ideo lex Dei accusat eum, ut discamus, quam horribiliter hæc humana natura

im-

## DE DECALOGO.

*immersa sit peccato, & agnoscamus nos non posse Legi satisfacere, sed habere opus alia iusticia. Itaq; hæc duo postrema præcepta non pertinent ad disciplinam, sed ad superiorem usum legis, scilicet ad accusandum peccatum in tota natura humana, ut agnoscamus vitium originis.*

## DE FINE.

*In singulis præceptis diligenter addendus est finis, ut fiant propter Deum, hoc est, in timore Dei, & referatur ad Deum, ut, Magistratui obedias, quia timeas Deum, & uelis Deo parere. Ita non defraudes alium in contractu, quia timeas Deum, & uelis Deo præstare obedientiam. Sic in singulis mandatis & operibus oportet apprehendi Deum, & repeti primum mandatum ut omnia opera fiant cultus Dei, & in omnibus operibus Deum intueamur, & ei seruiamus.*

*Repetenda est etiam in singulis doctrina de fide, quæ docet, quod propter Christum reputemur iusti gratis. Deinde uero placeat propter ipsum inchoata obedientia. Tenebis autem has præcipuas quæstiones de quolibet mandato. Prima, quid præcipiat. Secunda, quo fine. Tertia, an satisfiat. Quarta, quomodo fiat, & placeat obedientia.*

DE



DE DECALOGO,  
DE VSV  
LEGIS.

Postquam utcunq; Decalogum enarrauimus, admonendus est Lector etiam de usu. Est autem triplex usus. Primum tradendus est Decalogus seu lex Dei moralis, ut disciplina rudes erudiat & coerceat. Et hic usus pertinet ad iniustos & iustos. Deus enim coerceri uult iniustos externa disciplina, & iustis rudibus opus est institutione, doctrina & diligentia coercenda carnis, sicut pueris adolescentibus, uulgo &c.

Secundus usus est proprius contritioni, arguere peccatum, et perterrefacere conscientiam, de quo Paulus saepe loquitur: Per legem cognitio peccati. Item, Lex iram efficit. Si enim nulla esset lex seu nulla obligatio, quomodo id quod fit contra uoluntatem Dei, esset peccatum? Terrentur ergo lege omnes, qui nondum consecuti sunt remissionem peccatorum.

Tertius usus est in his, qui sunt iustificati. Etsi enim sunt liberati à lege ne damnet, tamen ijs opus est doctrina legis tripliciter. Primo quod ad doctrinam attinet. Secundo, quod attinet ad uetustatem carnis. Tertio, quod ad obedientiam attinet. Primo de doctrina constat etiam iustis opus esse uerbo, ut sciant qui cultus, qualia opera  
pia

## DE DECALOGO.

placeant Deo, ne excogitent novos cultus sine uerbo, ut Monachus. Ideo Paulus ad Timotheum inquit: Omnis scriptura utilis est. Secundo de uetustate carnis. Neesse est uetustatem coerceri & argui, quia lex semper arguit praesens peccatum. Sed ita sumus liberi, non quod lex non arguat, sed si uincamus fide legem arguentem, idque testatur oratio dominica. Non essent debita, nisi lex obligaret & argueret. Quanquam ita liberabimur cum credimus &c.

Tertia de obedientia. Et si sumus liberi à lege ne damnet, tamen manet ordinatio & uoluntas Dei, ut creatura obediat. Quare obedientia necessaria est, & quomodo placeat, docet Euangelium. Ideo inquit Christus: Non ueni soluere legem, sed implere. Item Christus inquit: Hoc est mandatum meum, ut diligatis inuicem. Et 2. Ioh. 7. Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filij eius Iesu Christi, & diligamus inuicem. Haec sententiae loquuntur de uoluntaria obedientia, & tamen nominant mandatum. Quia manet ordinatio Dei, ut creatura obediat, etiam cum uolens obtemperat. Et tamen Euangelium interea docet, quatenus liberi simus, scilicet, ne damnet lex, non ut non fiat.

DE EVANG.

# DE EVANGELIO.

## Quid differt Lex ab Euangeli- gelio ?

**M**aximè refert initio pios admoneri de di-  
scrimine harum appellationum. Nam con-  
fusio offundit magnam caliginem Euangelio. Est  
igitur Lex doctrina quæ docet, quales esse oportet, & quæ opera à nobis requirat Deus, & re-  
quirit perfectam obedientiam, & damnat eos,  
qui non obediunt. Sed Euangelij principalis &  
proprius locus est promissio, in qua gratis nobis  
propter Christum donatur remissio peccatorum,  
imputatio iusticiæ, Spiritus sanctus, & uita eter-  
na. Et hanc promissionem oportet fide accipi.  
Sunt autem duplices promissiones in scripturis,  
Vt promissiones legales: Qui fecerit ea, uiuet in  
eis. Item: Si uis ingredi in uitam, serua mandata.  
Tales sunt conditionales, hoc est, habent condi-  
tionem impletæ legis. Sed promissio propria  
Euangelij est gratuita, hoc est, non habet condi-  
tionem legis, tanquam causam beneficij, seu con-  
ditionem nostræ dignitatis. Tametsi habet con-  
ditionem fidei. Memmeris igitur particulam  
gratis propter Christum, discrimen facere inter  
promissiones, idq; necesse est tenere. Nam in ue-

*Lex quid.*

*Duplices  
promissio-  
nes.*

DE EVANGELIO.

ro agone conscientia non disputat, utrum Deus sit  
misericors, an remittat peccata, sed illud querit,  
an nobis & indignis uelit remittere. Hic est unus  
portus conscientiae, tenere, quod certum sit gratis  
remitti, quod Euangelij promissio propria sit  
gratuita, nec habeat conditionem nostrae digni-  
tatis. Est autem Christus aptissime complexus  
summam Euangelij, cum ait Lucae ultimo: Prædi-  
cate poenitentiam & remissionem peccatorum  
in nomine meo. Hinc definitionem constituamus:  
Euangelium est prædicatio poenitentiae, & pro-  
missio, in qua propter Christum gratis offerun-  
tur nobis remissio peccatorum, imputatio iusti-  
ciae, donatio Spiritus sancti & uitæ aeternae, mo-  
do ut credamus hæc nobis certò & uere pro-  
pter Christum contingere, & non propter di-  
gnitatem nostram, aut nostra merita. Hæc  
breuis Euangelij definitio tenenda  
est, ut propria Euangelij  
beneficia sint nobis  
in conspe-  
ctu.

DE

## DE IUSTIFI- CATIONE.

**E**VANGELIUM arguit peccata, & of-  
fert promissionem Christi, Ideo perterrefa-  
cti agnitione iræ Dei aduersus peccata, debent  
credere promissioni, quod propter Christum  
GRATIS donentur eis remissio peccatorum  
& imputatio iusticiæ. Hac fide certo consequun-  
tur remissionem peccatorum & iustificationem  
seu gratiam, sicut Paulus perspicue docet Rom. 3.  
Iustificamur gratis ipsius gratia per redemptio-  
nem in Christo Iesu, quem proposuit Deus propi-  
ciatorium per fidem in sanguine eius &c.

Huiusmodi aliquot perspicua testimonia te-  
nenda sunt, quæ & erudiant conscientias, & ex-  
uscitent fidem in omni inuocatione. Nunc adijciam  
uocabulorum interpretationem. Iustificari signi-  
ficat forensi more iustum reputari seu pronun-  
ciari. Iustus in his Pauli disputationibus signifi-  
cat idem quod acceptus seu placens Deo. Et  
IUSTIFICATIO est remissio peccatorum,  
& acceptatio coram Deo, cum qua coniuncta est  
donatio Spiritus sancti. Vocabulum GRATIÆ  
idem significat, sed continet emphasim particule  
I 2 exclu-

## DE IUSTIFICATIONE.

exclusivæ gratis. Est enim gratia gratuita remissio peccatorum, & acceptatio propter Christum, cum qua coniuncta est donatio Spiritus sancti. Vocabulum FIDES significat hic non tantum historiae noticiam, sed etiam fiduciam misericordiae promissæ propter Christum, seu fiduciam, quæ accipit promissionem, & applicat eam ad nos, sicut Paulus manifestè testatur Roman. 4. se loqui de ea fide, quæ accipit promissionem, ut inquit: Ideo ex fide, ut sit firma promissio. Quare cum dicitur: Fide iusti sumus, hæc oratio correlatiuè intelligi debet, hoc modo, per misericordiam propter Christum iusti, id est, accepti sumus, non propter nostras uirtutes, sed tamen hanc misericordiam oportet fide accipi & apprehendi. Hæc est simplex & propria Pauli sententia. Explicatis uocabulis rursus monendus est Lector de exclusiua gratis. Excludit enim conditionem meriti, seu nostræ dignitatis, idq; propter duas causas præcipuè. Primum, ut in Christum Mediatorem transferatur causa beneficii, hoc est, ut intelligamus nobis ignosci non propter nostram dignitatem, sed propter Christum. Secundo, ut beneficium sit certum. Si enim penderet ex conditione dignitatis nostræ, fieret incertum. Si conscientia iudicaret, ita nobis ignosci,

sci,

## DE IUSTIFICATIONE.

sci, postquam satis magnam contritionem, aut alia merita habeamus, prorsus adigeretur ad desperationem, & fieret incertum beneficium promissum in Euangelio. De his duabus causis maxime admonet nos particula GRATIS. Cum hoc modo intelligitur exclusiua, fit dulcior conscientijs, & apparet non tolli contritionem. Oportet enim aliquam contritionem, id est, pauores & terrores, existere in nobis, cum agnoscimus iram Dei aduersus peccatum, sicut inquit Esaias: Vbi habitabit Dominus? In spiritu contrito &c. Et cum fides sit uiuificatio quedam, necesse est existere terrores, in quibus sustentamur & consolamur nos Euangelio. Et quanquam contritio sine fide damnata est, tamen postquam accessit fides, fit bonum opus & sacrificium, ut postea dicetur de bonis operibus.

Secundo, sicut de particula Gratis in promissione Euangelij necesse est, admoneri auditores, ita & illud inculcandum est, quod sicut predicatio pœnitentiæ est uniuersalis, ita quoque promissio sit uniuersalis, singuli nos in promissionem illam includamus, nec excuti nobis fidem sinamus intempestiuè accersitis disputationibus de prædestinatione, sed ordiamur à uerbo, & memine-



## DE IUSTIFICATIONE.

rimus promissionem esse uniuersalem, & statuamus uerè illa contingere nobis, quæ in uerbo proposita & promissa sunt, quia Deus per uerbum suum est efficax, & in uerbo uult apprehendi, iuxta illud: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti.

Tertio necesse est & hoc teneri, quod cum iustificamur, donamur Spiritu sancto, quem ita concipiunt corda, cum audiunt Euangelium, & ei adsentiuntur, ac fide se sustentant in paucioribus. Sic docet Paulus ad Galatas: Ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem. Hæc acceptio Spiritus sancti uocatur regeneratio seu renouatio, & est inchoatio uitæ æternæ in nobis, sicut Christus inquit: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Hactenus de Iustificatione & Fide diximus, quæ in quotidiana experientia fiunt illustriora. Nam hæc doctrina semper in conspectu esse debet, ut teneamus firmam consolationem, & ut possimus inuocare Deum. Nam sine hac fide nulla est uera inuocatio, sine hac fide non apprehenditur Pontifex et  
Mediator Christi.  
stus.

DE BO



## DE BONIS OPERIBVS.

**H**ACTENVS de Iustificatione & fide dictum est. Inchoatur autem in iustificatis noua obedientia. Ideo tradenda est doctrina de Bonis operibus. Tria autem quærentur de bonis operibus. Primum, quæ opera postulentur. Secundum, quomodo illa imperfecta obedientia placeat Deo. Tertio, quomodo amittatur gratia.

### Quæ requiruntur ?

Requiruntur opera lege Dei præcepta, non tantum externa, sed etiam interiores motus. Necessesse est enim Legem in nobis inchoari, sicut Christus ait: Nisi abundauerit iusticia uestra &c. Item, Si uis ingredi in uitam, serua mandata. Ergo requiritur obedientia, quæ sic inchoatur in nobis, cum fides ad contritionem accessit, iam peccatum displicet cum cupimus Deo, quem agnouimus, obedire. Ita primum concipitur bonum propositum, ut uocant. Inchoantur ergo iam in corde motus consentientes Legi Dei, timor, fiducia, dilectio Dei, inuocatio, patientia, ueritas, castitas, dilectio proximi, cura Reipublice.

## DE BONIS

*blicæ. Hæ uirtutes fiunt Spiritu sancto impel-  
lente corda, & crescunt, cum eas exercemus, si-  
cut scriptum est: Habenti dabitur &c. Quan-  
quam autem in renatis bona opera sunt motus  
Spiritus sancti, tamen Spiritus sanctus mouet per  
uerbum, & oportet nos habere testimonium, quæ  
opera placeant Deo, ne decepti alia opera susci-  
pamus. Ideo cum oporteat nos regi uerbo, di-  
ctum est nominatim illa opera postulari, quæ in  
Decalogo præcepta sunt. Etsi enim non est po-  
sita Lex iusto, quod ad accusandum attinet, tamen  
est ei posita, quatenus docet eum, & requirit  
obedientiam, iuxta illud: Omnis scriptura diui-  
nitus inspirata, utilis est ad docendum, arguen-  
dum &c.*

### Quomodo placet imperfecta obedientia?

*Necessaria est obedientia, & tamen scien-  
dum est, eam procul abesse à perfectione, nec sa-  
tisfacere legi Dei, & adhuc hære in nobis re-  
liquias peccati. Quare persona non est iusta, id  
est, accepta coram Deo propter propriam mun-  
diciem, iuxta illud: Non iustificabitur in conspe-  
ctu tuo omnis uiuens. Placet autem persona fide  
per*

## OPERIBVS:

per misericordiam propter Christum, ut supra dictum est. Deinde placet & inchoata obedientia, quia sumus facti filij, & credimus propter Christum condonari nobis indignitatem nostram. Vtrumq; igitur sciri necesse est, ut fiducia propria iusticiae, & desperatio animis eximantur. Nam agnitio infirmitatis nostrae humiliat nos, incutit terrores, & exuscitat poenitentiam. Rursus autem ingens consolatio est quod pij in tanta infirmitate tamen norunt certo statuendum esse, quod placeant Deo propter Christum. Deinde quod Deo etiam haec inquinata & imperfecta obedientia placeat, quia sumus inferti Christo, sicut Paulus inquit: Nulla nunc damnatio est his, qui in Christo Iesu ambulant. Tanta magnitudo misericordiae maxime accendere nos debet ad bene operandum, & ad sustinendas aerumnas omnis generis, quia discimus ex Euangelio, quomodo placeat in tanta infirmitate obedientia nostra.

## CAVSÆ HORTANTES

ad bene operandum.

Necessitas, quae triplex est. Prima, quia mandauit, ut Deo obediamus. Secunda, quia non potest existere fides in ihs, qui non agunt poenitentiam

## DE BONIS

tiam, sed laxant frenum cupiditatibus. Tertia, quia fides extinguatur, si non exerceatur in inuocatione, afflictionibus, & bonis operibus. Semper enim operibus debet praere fides, ut cogitet mens se uelle obedire Deo, & hoc opus placere Deo propter Christum, & roget ut regatur à Deo. Sic David in sua uocatione constituit se uelle obedire Deo, & sentit illa opera uocationis Deo placere, propter promissam misericordiam, & rogat, ut Deus uocationem eius gubernet, Hoc modo exercenda est fides in omnibus operibus. Quarta, inuitant ad bene operandum & promissiones additae operibus ac praemia. Habent enim bona opera piorum praemia corporalia & spiritualia ut docet quartum praecipuum: Honora patrem & matrem, ut sis longeuus super terram. Date & dabitur uobis & c. Est autem & in his promissionibus exercenda fides, cum damus eleemosynam, credamus Deum tamen conseruaturum esse facultates nostras, credamus & petamus augeri dona spiritualia, sicut Augustinus inquit: Dilectio meretur augeri dilectionem. Exemplum egregium propositum in historia Sareptanae mulieris, quae iussa ab Helia, primum ipsi dat cibos, quos solos habebat reliquos, & expectabat auxilium à Deo, ita Deus auxit illos

## OPERIBVS.

illos cibos, postea ornauit eam & alijs donis. Ita  
& nos exerceamus fidem in inuocatione &  
omnibus periculis, negocijs, et actionibus, & obe-  
diamus Deo, petentes & expectantes ab ipso  
auxilium.

### Quomodo amittitur gratia ?

Dictum est, in Sanctis manere peccata, sed  
tamen discrimen tenendum est. Quaedam sunt  
eiusmodi, ut simul existere fides & gratia pos-  
sint. Alia excutiunt fidem & gratiam. Hoc  
discrimen tradit Paulus Roman. octauo: Si se-  
cundum carnem uiuetis, moriemini, Si autem spi-  
ritu actiones carnis mortificabitis, uiuetis. Ma-  
net enim in sanctis naturalis infirmitas, concupi-  
scentia, & multi uiciosi affectus. Sed quia his  
non obtemperant sancti, uerum repugnant, &  
agnoscunt sibi condonari hanc infirmitatem pro-  
pter Christum. Hæc peccata dicuntur uenialia,  
hoc est, talia, quæ sanctis condonantur, & pro-  
pter quæ non amittunt fidem & spiritum san-  
ctum. Est igitur peccatum ueniale uiciosus affe-  
ctus, cui non obtemperant pij, sed repugnant, &  
credunt sibi eam infirmitatem propter Chri-  
stum condonari.

Peccatum  
ueniale  
quid.

Sed

## DE BONIS

Sed quando non repugnant, uerum obtemperant uiciosis affectibus contra conscientiam, fiunt peccata mortalia, id est, propter quæ illi, qui fuerant iusti, amittunt fidem & Spiritum sanctum, & propter quæ fiunt rei mortis æternæ, sicut Paulus inquit: Fornicatores, adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Teneamus igitur hoc discrimen, ne simus ignaui, nec laxemus frenum cupiditatibus, ne amittamus dona Dei, sed meminerimus assidue, tanquam in acie standum esse, ac cauendas insidias Diaboli, & reprimendos uiciosos motus, ad excitandam inuocationem, & fidem in tantis uitæ periculis, quæ & maiora & plura sunt, quam ut intelligi aut prospici nobis possint. Ideo promissus est Spiritus sanctus, ut nos adiuuet & gubernet. Gubernat autem non uiciosos, & ignauos, sed repugnantes peccato, sicut Paulus hortatur, ut curemus, ne frustra acceperimus gratiam. Etsi autem, ut ante dictum est, concupiscentia & uiciosi motus, quibus repugnant pijs, fiunt uenialia peccata, tamen & horum magnitudo agnosci debet. Non enim sunt leues morbi, dubitatio de ira & misericordia Dei, securitas, diffidentia, non ardere dilectione Dei, non ardentem inuocare Deum, fremere aduersus Deum in afflictionibus. Hec uicia  
non

## OPERIBVS.

non intelligit ratio humana, ideo contemnit peccata uenialia, sed pij sciant non esse extenuanda. Nam concupiscencia cum suis fructibus est re ipsa mortale peccatum, in non renatis, & longe maius malum est, quàm ut eius magnitudo à ratione perspici possit. Ideo pij hos morbos agnoscant, & uere perhorrescant, cum cernent quomodo repugnat natura hominis uoluntati Dei, sicut Paulus inquit: Infœlix ego homo. Rursus autem erigant se fide, & sibi ignosci credant, & serio repugnent illis morbis. Hoc certamen est uera pœnitentia piorum, in qua crescit nouitas spiritalis, & concipiuntur noui & ardentiores motus spiritalis, sicut inquit Paulus: Exterior noster homo corrumpitur, sed interior renouatur. Et ad Collossenses: Induite nouum hominem, qui renouatur agnitione Dei & ad imaginem eius, qui condidit eum. Et ad Corinthios: In eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam.

DE

# DE SACRAMEN- TIS,

## Quid est Sacramen- tum ?

*Proprie est ceremonia in Euangelio instituta,  
cui est addita promissio Euangelij.*

## Quot sunt ?

*Tria recte numerantur, Baptismus, Absolu-  
tio, Coena Domini. Baptismus est immersio in  
aquam, quæ fit cum hac admiranda benedictione:  
Ego baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spi-  
ritus sancti. Et ad quid fiat baptismus, hæc ipsa  
uerba significant. Est enim sententia: Ego mini-  
ster mandato diuino hac ceremonia testor, quod  
iam ille Deus recipiat te in gratiam, qui est Pa-  
ter, Filius, & Spiritus sanctus, & sic uult agnosci  
& inuocari, quod propter Filium te recipiat, &  
Spiritu sancto te sanctificet, & sit tibi opitulatu-  
rus, & inchoaturus in te nouam & æternam ui-  
tam: Ita in his uerbis comprehensa est promissio,  
& summa Euangelij, & ueri cultus descriptio,  
quæ discernit nos à Gentibus & Iudæis, qui non  
inuocant Deum per filium Mediatorem, neq;  
agnoscunt Spiritum sanctum. Quare hæc uerba  
semper*



## DE SACRAMENTIS.

semper sint nobis in conspectu, semper personet nobis in auribus hæc uox Dei paciscentis nobiscum, quod uere uelit nobis esse Deus, uere uelit Filij beneficium & Spiritum sanctum nobis impartiri, uere curet & exaudiat nos. Ideo Petrus dicit, Baptismum esse pactum bonæ conscientie erga Deum, id est, sic sentientis de Deo, quod uere nos receperit propter Filium, uere nos iam curet & exaudiat.

### Quis est effectus Baptismi?

Prorsus extinguit usum Baptismi perniciosam & fanaticam opinionem plurimorum, quæ imaginatur Baptismum tantum esse notam professionis erga homines. Quare pii debent esse uigilantes, ne hæc opinio animos eorum occupet. Statuant autem econtra, Baptismum esse testimonium uoluntatis Dei erga nos, & sic discant uti Baptismo erga Deum. Quoties inuocas, cogita Deum testatum esse in Baptismo, quod uere te receperit in gratiam, quod uere uelit tibi ignoscere propter Filium, uere uelit te exaudire, uere uelit te sanctificare Spiritu sancto. Id testatus est hoc signo, in quo paciscitur nobiscum, se nobis futurum esse Deum, Saluatorem & opitulatorem. Atque ita Paulus de Baptismo loquitur, cum uocat laud-

crum

## DE SACRAMENTIS.

*crum regenerationis. Quo dicto clare testatur, Baptismum non tantum esse notam professionis coram hominibus. Sunt igitur effectus baptismi remissio peccatorum, & donatio Spiritus sancti, sicut testatur Paulus Ephes. 5. Mundans eam lauacro aquæ in uerbo uitæ, ut exhiberet eam gloriosam &c. Porro adulti discant exercendam esse fidem recordatione baptismi, quia necesse est ad sacramenta fidem addi. Semper igitur baptismus debet nobis testimonium esse uoluntatis Dei erga nos, quo admoniti credamus nos uere à Deo receptos esse, uerè donatam esse salutem propter Christum, uerè sanctificari ac iuuari à Spiritu sancto.*

### Suntne infantes baptis- fandi?

*Respondeo, Infantibus baptismum necessari-  
um esse, quia Mandatum Christi est uniuersale,  
Iohan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spi-  
ritu, non potest ingredi in regnum Dei, Ergo eti-  
am infantibus opus est baptismo, ut saluentur.  
Hæc ratio ducta ex uniuersali sententia satisfac-  
cit pijs, & tenenda est aduersus fanaticos homi-  
nes, qui improbant baptismum infantium. Sunt  
& plura argumenta utilia conscientijs.*

*Nemo*

DE SACRAMENTIS.

Nemo saluatur extra Ecclesiam,  
Infantes aliqui sunt saluandi,  
Ergo necesse est eos insertos esse Eccle-  
siae, & applicari eis primum Sacra-  
mentum.

Maiores est manifesta, quia ubi non est uerbum  
Dei, aut Sacramentum, ibi non datur Spiritus san-  
ctus, quia datur per uerbum & Sacramenta.

Minor etiam manifesta est, quia Christus cla-  
re pronunciat de infantibus in populo Dei: Non  
est uoluntas Patris, ut pereat unus de paruulis  
istis. Cum igitur testetur, infantes illos saluos fie-  
ri, qui sunt in populo Dei, non alios extra Eccle-  
siam, sequitur necessario inserendos esse Ecclesiae,  
Confirmat eandem Minorem & alia sententia  
Christi, uidelicet: Sinite paruulos uenire ad me,  
talium enim est regnum coelorum. Et loquitur de  
infantibus in populo Dei, Ergo testatur aliquos  
infantes saluos fieri, & quidem illos, qui sunt in-  
serti Ecclesiae.

Tertium, Non est remissio peccatorum sine  
ministerio uerbi & Sacramento-  
rum.

Infantes habent opus remissione  
peccatorum.

K Ergo

DE SACRAMENTIS.

Ergo infantibus applicandum est ministeria  
um Sacramentorum.

Maiorem confirmat hæc sententia Iohan. 20.  
Quorum remisistis peccata, remittentur eis  
&c. Minorem confirmat Paulus Rom. 5. &  
Ephe. 2. Vbi testatur infantes secum asserre pec-  
catum originis, hoc est, reatum & corruptionem  
naturæ.

Quartum argumentum: Promissio Euangelij  
pertinet ad infantes,

Ergo & Sacramentum, quod est testimo-  
nium promissionis, & signum, quod signi-  
ficat applicari promissionem.

Consequentia ualet, quia ad quem pertinet  
promissio, quæ est principale, ad eundem perti-  
net signum, quod est nota promissionis. Antece-  
dens manifestum est, quia infantes non nisi pro-  
pter Christum saluantur. Et ipse inquit: Sinite  
paruulos uenire ad me.

Quintum: Circumcisio in ueteri Testamento  
erat necessaria infantibus, ut significaret  
ad eos pertinere promissionem gratiæ,  
uidelicet: Ero Deus eorum, & ut insere-  
rentur populo Dei.

Ergo Baptismus in nouo testamento est  
necessarius infantibus.

Valet

## DE SACRAMENTIS.

Valet consequentia, quia significatio conuenit, quod attinet ad promissionem gratiae. Et Deus uult esse efficax per Verbum & Sacramentum.

### Quid significat Baptismus?

Sacramenta principaliter sunt signa promissionum diuinarum. Quare praecipue significat Baptismus promissionem Euangelij, quod propter Christum donetur nobis remissio peccatorum, & Spiritus sanctus. Itaque mersio significat ablui peccata, & mergi in mortem Christi, quia peccatum deletum est, & promissa noua & aeterna uita. Postea accedunt aliae significationes, quae ad mores nostros pertinent. Mersio significat mergi nos in mortem & afflictiones, ut abolita carne immunda, prorsus deleatur peccatum. Sic ergo Baptismus intueamur in omni uita, ut nos primum admoneat de uoluntate Dei erga nos, quod uere nos receperit, & uelit delere peccatum. Haec fides exuscitat inuocationem. Deinde admoneat nos mersio de obedientia, quod ad afflictiones uocati sumus.

K 2

DE

DE PŒNITENTIA.

VOCABVLVM Pœnitentiæ in Ecclesia  
usurpatur pro conuersione ad Deum, &  
nos usitatum uerbum retinemus, ut facilius agno=  
sci locus doctrinæ possit. Sunt autem partes pœ=  
nitentiæ duæ, Contritio & Fides. Contritio si=  
gnificat terrores conscientie, agnoscentis pecca=  
tum & iram Dei, ac dolentis propter peccata.  
Fiunt autem hi terrores, cum Euangelium arguit  
peccata, quam ad rem utitur ministerio Legis.  
Ac necesse est existere terrores, sicut dicit Ioël:  
Scindite corda uestra. Et Esai. Vbi habitabit Do=  
minus? In spiritu contrito &c. Et Esai. 1. Desi=  
nite peruerse agere. Et Ezech. 18. Cum auerterit  
se impius ab impietate sua &c. Nec tamen mere=  
tur Contritio remissionem peccatorum, Imo nisi  
fides accederet, contritio & terrores adferrent  
desperationem & æternam mortem. Necesse est  
igitur & de altera parte Ecclesias doceri, ut ac=  
cedat consolatio. Quare proponendum est Euan=  
gelium, in quo promittitur remissio peccatorum  
propter Christum, quæ uerè ita donatur, cum fi=  
de statuimus nobis non propter dignitatem no=  
stram, aut opera, aut uirtutes, sed propter Chri=  
stum, qui pro nobis factus est uictima, gratis re=  
mitti

## DE POENITENTIA.

mitti peccata. Suntq; docendæ Ecclesiæ, ne aliud  
querant, præter hanc fidem, ut mereantur remis-  
sionem peccatorum. Conscientia enim solet alias  
consolationes, præter fidem querere. Quare non  
sine certamine magno reuocatur ad fidem. Di-  
scamus igitur huius fidei exercitia, sciamus eam  
esse præcipuum cultum Dei & in omni inuoca-  
tione exercendam. Quoties incipimus inuocare,  
hæc fides præluceat, credamus nobis ignosci, nos  
reputari iustos, nos exaudiri propter Pontificem  
Christum. Ita in omni inuocatione hæc fides, qua  
credimus nobis remitti peccata, exercenda est,  
& hæc est proprius cultus piorum.

Habeamus autem in conspectu quedam  
firma & illustria testimonia de hac fide & de  
remissione peccatorum, ut magis confirmari men-  
tes, & excitari ad fidem & inuocationem pos-  
sint. Actorum decimo: Huic omnes Prophetæ  
testimonium perhibent, remissionem peccato-  
rum accipere per nomen eius omnes qui credunt  
in eum.

Sciendum est & illud, cum hac fide nos su-  
stentamus, dari Spiritum sanctum per uerbum,  
iuxta illud Pauli ad Galatas: Ut promissionem  
Spiritu accipiamus per fidem. Nam Spiritus  
K 3 sanctus

## DE POENITENTIA.

Sanctus est efficax in consolatione per uerbum Euangelij. Quare cum nos Euangelij & absolutionis cogitatione erigimus, datur Spiritus sanctus. Postea sequi etiam debet noua obedientia, sicut scriptum est: Debtores sumus, ne secundum carnem uiuamus. Si enim secundum carnem uixeritis, moriemini. Et ad Corinthios: Adulteri, homicidæ, non possidebunt regnum Dei. Cum fide agnouimus misericordiam Dei & beneficium Christi, tum corda impellente Spiritu sancto subiiciunt se Deo, & concipiunt bonum propositum ut uulgo dicitur, id est, incipiunt obedire Deo iuxta eius uerbum, & repugnare malis cupiditatibus, ne contra conscientiam faciant. Hoc bonum propositum est inchoatio nouæ obedientiæ, complectens bonos motus omnium uirtutum, timorem, dilectionem, patientiam, inuocationem, officia dilectionis, castitatem, ueritatem. Nec sine fide fit bonum propositum. Nam contritio sine fide est terror, qui parit indignationem aduersus Deum, & desperationem, non parit dilectionem Dei & inuocationem. Sed postquam accedit fides, deinde contritio fit timor filialis, & bonum opus ac sacrificium, sicut inquit Psalmus: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. cor contritum & humiliatum Deus non despicies.



## DE POENITENTIA.

Hinc intelligi potest, semper ueram poenitentiam parere bona opera, ut alter latro crucifixus cum Christo, habet contritionem, agnoscit enim suum peccatum, habet & fidem, cum agnoscit Christum esse Saluatorem, Nec enim erat obscura Christi cognitio, quæ tali tempore predicat eum esse Saluatorem, ac necesse est in animo eius accensum fuisse excellens lumen. Audit etiam Absolutionem & Euangelium, ut fides eius confirmetur. Hæc ipsa conuersio est inchoatio nouæ obedientiæ, dilectionis & boni propositi, quæ sunt bona opera. Accedunt & externa opera maxime gloriosa, inuocatio & confessio de Christo, quæ contra blasphemias defendit gloriam eius. Item confessio peccati.

## DE ABSOLUTIONE.

PRIVATA absolutio est illustre testimonium, ostendens in Euangelio institutum esse ministerium annunciandi remissionem peccatorum multis aut singulis, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata etc. Applicat igitur priuata absolutio singulis Euangelium, & testatur

K 4 præ

## DE ABSOLVTIONE.

promissionem ad singulos pertinere, sicut cetera Sacramenta sunt applicationes, quæ testantur ad singulos pertinere Euangelij promissionem. Quare priuata absolutione utendum est. Semper autem meminerimus addendam esse fidem, quæ uerè credat uoci Euangelij, quæ nobis applicatur, & annunciat remissionem peccatorum propter Christum, & cum obstrepunt cogitationes illæ, humanam remissionem irritam aut incertam esse, cum solius Dei sit remittere peccata, reuocanda est mens ab his cogitationibus ad Euangelium. Non enim remittit homo, sed Deus, qui suam uoluntatem in Euangelio proposuit, & instituit ministerium, ut promissio ipsius nobis annuncietur &c. Et mandauit promissioni credi. Sic per ministerium in baptismo remittuntur peccata.

## DE CONFES- SIONE.

CONFESSIO quæ fit Deo, est ipsa contritio, cum fide petente remissionem peccatorum. De hac confessione loquitur Psalmus: Dixi confitebor aduersum me iniusticiam meam Domino,

## DE CONFESSIOE:

mino, & tu remittis impietatem peccati mei, id est, cum perterrefactus agnosco me esse reum, nec confido mea iusticia, sed confugio ad promissam misericordiam, uerè impetro remissionem. Et hic uersiculus Psalmi proponit illustre exemplum conuersionis & ueræ confessionis.

Sed alia confessio est enumeratio delictorum, quæ fit sacerdoti. Hæc enumeratio non est necessaria, quia nec præcipitur à Christo, nec est possibilis, iuxta illud: Delicta quis intelligit? Et tamen cum absolutio petenda sit, ministri ad eundem sunt, & ostendendum nos agnoscere iram Dei aduersus nostra peccata, & petere, ut uocem Euāgelij nobis impertiant, et testari nos deinceps bonos fructus poenitentiae facturos esse. Sic de confessione scriptum est Matthæi 3. Confitentes peccata sua. Et Luc. 17. describitur, quid testari debeamus, cum ait: Si conuersus fuerit ad te dicens: Poenitet me, dimitte illum. Nam contemnentibus iram Dei, qui perseverant in flagitijs contra conscientiam, non est impertienda absolutio.

## DE SATISFACTIOE.

K 5

Cons

## DE SATISFACTIONE.

**C**onsuetudo satisfactionum improbanda est  
& reijcienda doctrina de satisfactionibus.  
Cauendum est enim omni studio, ne obruatur do-  
ctrina de gratuita acceptatione & de fide. Luceat  
at hæc sententia in Ecclesijs, quod gratis propter  
Christum donetur remissio culpæ & pœnæ eter-  
næ, quod Christus sit satisfactio & uictima pro  
peccatis nostris, quod nulla nostra opera sint sa-  
tisfactiones pro peccatis nostris.

Hanc doctrinam ualde obscurauit doctrina  
de satisfactionibus in Ecclesia. Ideo necesse est  
eam aboleri, & reijci doctrinam de satisfactio-  
nibus. Sed hic monendi sunt rudes, non reijci ciui-  
les satisfactiones, ut furti restitutionem, quæ uerè  
pertinent ad contritionem. Sed reijciuntur satis-  
factiones, quas ipsi uocant opera indebita. Item,  
quod operibus tribuunt compensationem pro æ-  
terna morte, & obruunt doctrinam de beneficio  
Christi. Quales autem fuerint ritus satisfactionis  
publicæ quondam, & quales postea ritus & opi-  
niones secutæ sint, non possum in breui Catechesi  
recitare. Ceterum illud sciant pij, Deum sæpe  
punire peccata ingentibus pœnis temporalibus,  
& has rursus mitigare, aut prorsus tollere pro-  
pter totam pœnitentiam. Sicut Dauid propter  
adul-

## DE SATISFACTIONE.

adulterium è regno expulsus est, sed Deus agenti  
pœnitentiam mitigauit pœnam, eumq; restituit.  
Discernenda est igitur remissio æternæ pœnæ, à  
remissione præsentium & corporalium pœna-  
rum. Semper in remissione culpæ simul fit re-  
missio pœnæ æternæ propter Christum, sed quia  
Deus in hac uita nos subiecit afflictionibus non  
semper tolluntur pœnæ corporales. Imo inter-  
dum etiam post pœnitentiam irrogantur, exem-  
pli causa, & ut pij exerceantur, sicut inquit Pe-  
trus: Iudicium à domo Dei incipit. Vt Dauid  
post pœnitentiam regno expulsus est, sed tamen  
propter conuersionem mitigatur pœna. Sæpe  
punit Deus fontes ante pœnitentiam, ut reuocet  
eos, ut Manasses in carcere resipuit. 2. Paral. 22.  
Tales afflictiones non sunt compensationes, aut  
satisfactiones, sed pœnæ, quibus Deus aut reuo-  
cat, aut exercet homines. Cœterum promisit  
Deus mitigationem pœnarum corporalium agen-  
tibus pœnitentiam, ut Esai. 1. Si fuerint peccata  
uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Si  
uolueritis & audieritis me, bona terræ comede-  
tis. Et Esai. 33. Panis ei datus est, Regem in  
decore uidebunt. Et Zach. 1. Con-  
uertimini ad me, & ego  
conuertar ad uos.

DE

*Ioh: si manseritis in Verbo meo  
Vero discipuli mei estis et cognos-  
citis Veritatem* DE COENA DOMINI  
*et Veritas liberabit vos*

**D**ILIGENTER admonendi sunt pii, ut  
discant Sacramenta à Christo instituta, non  
esse tantum notas professionis erga homines sicut  
Toga discernebat Romanos à grecis, aut forma  
uestis discernit Monachos, nec esse tantum symbo-  
la morum, ut nunc multi lectis gentium historijs,  
quia uident in foederibus faciendis fuisse morem,  
testificandæ beneuolentiæ mutuae causa, simul con-  
uiuari, cogitant hanc Coenam Christi etiam tale  
conuiuium esse constitutum ad significandam mu-  
tuam beneuolentiam. Sed hic nequaquam prin-  
cipalis finis est. Nam Sacramenta in Euangelio  
instituta sunt signa gratiæ, id est, sunt principa-  
liter testimonia uoluntatis diuinæ erga nos. Sicut  
Circumcisio erat testimonium posteris Abrahe,  
uerè eos esse populum Dei, & admoniti hoc si-  
gno debebant credere, se uerè propter promissio-  
nem habere Deum propiciam. Hic fuit prin-  
cipalis usus circumcisionis, ut docet Paulus, Rom.  
4. cum ait, Circumcisionem esse sigillum iusticiæ  
fidei, id est, testimonium, quo fides magis confir-  
matur, nam accepto signo statuimus ad nos per-  
tinere promissionem. Sic & de Coena Domini  
sentiamus, eam esse Sacramentum, id est testimo-  
nium

DE COENA DOMINI.

nium additum Euangelio, ut nos admoneat uerè ad nos pertinere promissionem Euangelij & beneficia Christi.

Sciant igitur pij, utendum esse integro sacramento, sicut Christus instituit, & cum sumunt corpus & sanguinem Domini, Christum adesse & efficacem esse. Cum autem quaeritur ad quid prodest manducare, recte respondetur, prodesse ad confirmandam fidem, quia est testimonium, quo admoniti statuere debemus, uere ad nos pertinere beneficia Christi. Exhibet tibi Christus corpus suum, ut donet tibi beneficia, ut testetur te esse membrum, pro quo passus est, quod uelit seruare, in quo uelit esse efficax contra Diabolum. Exhibet sanguinem, ut scias te sanguine ipsius ablutum esse. Prodest igitur manducare agentibus poenitentiam, & fide intuentibus in mortem & resurrectionem Christi, & credentibus propter hunc Mediatorem Deum uerè propitium esse, uerè nobis ignoscere, nos exaudire, & inuocantibus hac fide Deum & Dominum nostrum Iesum Christum, & pro tanto beneficio gratias agentibus. Hæc concurrere in usu necesse est. Nec prodest ceremonia sine poenitentia & sine fide.

Quid

*Aug:*  
*nihilus iobis*  
*corruptat har*  
*fide, si iml,*  
*his sponca cor*  
*uere casta*  
*uigintato*  
*ido.*  
*Sit pietas in*  
*credendo et*  
*proit fru tuis*  
*in intelligo*  
*to.*



DE COENA DOMINI.

Quid de Missa sentiendū  
dum est ?

*Sacramenta extra usum à Christo institutum,  
non sunt Sacramenta, ut si quis aquam baptismi  
circumferret, etiamsi uerba adderet, theatro  
more, nequaquam esset baptismus, & is cultus es-  
set impius, ita cum ex Cœna Domini fit oblatio,  
Item cum applicatur pro uiuis & mortuis, ne-  
quaquam est Sacramentum à Christo institutum.  
Cum autem sacrificuli in Missa offerant panem  
& uinum sine ullo mandato Dei, & applicent  
pro uiuis & mortuis, fugiendæ sunt tales Missæ,  
tanquam idolatricæ. Nec opus ipsum potest alijs  
mereri remissionem peccatorum, quia oportet  
singulos accipere remissionem peccatorum Gra-  
tis propria fide, quæ nititur Christo, non unius  
humani operis merito. Pugnatur igitur applicatio  
pro alijs cum doctrina de fide. Deniq; non magis  
est sacramentum in Missa papistica, quam Tur-  
cica aut Iudaica circumcisio est sacra-  
mentum. Dixit autem cœlestis uox:*


*Fugite idolatriam.*


**F I N I S.**



m,  
ni  
co  
es  
io,  
re  
m.  
em  
ent  
se,  
lijs  
tet  
d=  
ius  
tio  
gis  
ra










44  $\frac{17}{K_1 12}$

AB44  $\frac{17}{K_1 12}$

X 1386078



IN TAVLIT SACRAEOP  
MAHVCRIANDEACIAP  
MAGESTVV NECLARAV



Farbkarte #13

B.I.G.

CATECHE  
SIS PVERI  
LIS.

RECOGNITA

A

PHILIPPO MELANTH:



VITEBERGAE

EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO.

ANNO M. D. LVIII.